

ASPI
RENT
AE
AVR
FRANC
CENDVS

ALBERTI
HERONIS
SNECANI FRISII, SACRAE THEOLOGIAE LICENTIATI, ET COLONIAE philosophiæ quidem in Gymnasio Laurentiano, artium verò Mathematicarum publici & ordinarij professoris.



DE PROVIDENTIA DEI Libri quinque,


In quibus immensi & æterni DEI prouidentia, noua methodo, & nouis plerisque argumentis contra impios philosophos, & totum populum Atheorum defenditur.

ἐστὶ δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.



COLONIAE.
Apud Maternum Cholinum
Anno M. D. LXXXII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiest.

AMPLISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS, D. CASPARO KANNEgießer, D. Ioanni Maes, D. Hildebrando Suderman, D. Melchiori à Mullem, D. Gerardo Pilgrum, inclytæ Reipublicæ Coloniensis consulibus, proconsulibus, & quæstoribus, ac florentissimæ in eadem Repub. Academiæ prouisoribus vigilantissimis, totique Senatorum prudentissimorum cœtui, Albertus Hero Snecanus Salutem in Domino sempiternam.



Vm multa sint, viri amplissimi, quæ ad commodam artiũ & disciplinarũ tractationem non parum momenti habere videntur, tum ordinis & methodi in ijs tradẽ-

dis non poſtrema cura eſſe debet. Non enim ad perſpicuitatem duntaxat facit via ac ratione rem quampiam explicare, verum fidelius quoque memoria retinetur. quicquid certò ordine preſſum eſt, quã quod nulla methodi lege cohæret. In theologia verò pulcherrima ſemper ea methodus mihi viſa eſt, qua polemicæ materiæ, in quibus hoc potiſſimũ ſpectatur, vt fidei hoſtes argumentorum robore victi dent manus, ſeorſim ab ijs tractantur, quæ non tã victoriã de hoſtibus, quàm lacrumas & emẽdationẽ fidelium captãt. Quoniam verò adver-

uer-

uersariorum, cum quibus theologo res est, tria sunt genera, methodi ratio mihi postulare videtur, vt cum horum vnoquoq; singulatim bellum geratur, nec ante aduersarius mutetur, quam si non debellatum, saltem eo res perducta sit, vt is qui ex aduerso est, iustam non habeat repellendæ fidei rationẽ. Seorsim igitur; cum Pseudophilosophis, seorsim cum ijs qui vel DEVM in suis ignominijs colunt, vel quod sit pater Domini nostri IESV CHRISTI fateri nolunt, seorsim denique cum ijs, qui vt Christum caput agnoscant, à corpore tamen ip-

ſius per nefarium ſchiſma diuidũtur, diſceptari velim. Atque hanc theologici ſtudij rationem aliquot annos ſecutus, commentarios mihi de ſingulis diſputationum generibus paraui. Ex quibus illum hortatu tũ aliorum amicorũ, tum celeberrimi typographi Materni Cholini ordinis ſenatorij viri, primùm publico cõmittere viſum eſt, quo contra impios philoſophos Diagorã, Theodorũ, Epicurum, Stratonẽ phyſicum, Auerroim, aliosq́; atheos Deus rerum humanarum inſpector & moderator, armis ipſi philoſophiæ proprijs euincitur. Cum

enim

enim multi contra Iudæos & Mahumetanos Christo suam gloriam adseruerint: multi contra hæreticos quæ, & vbi quærenda sit vera Ecclesia è propheticis & Apostolicis literis demōstrarint, hactenus nemo extitit, qui contra primum genus antagonistarum integro volumine separatim decertarit. Cōsultius igitur iudicaui, si quicquam scribendum esset, in vacuam possessionem migrare, quàm more quorundam huius ætatis scriptorum in alienos labores inuadere. Cùm verò de patrono cogitarem, sub cuius tutela hoc opus in lucem emit-

teretur, vestrum mihi patrocinium viri Amplissimi, multis nominibus expetendum videbatur. Vos enim primo me in collegium professorum huius almæ Vniuersitatis cooptastis, ac deinceps vestro fauore ac beneuolentia prosequi non destitistis. Cum igitur vestras Amplitudines tam præsentes haberem, ac studiorum liberalium tãtos patronos & fautores expertus essem, facere non potui, vt alios huius scripti προστάτας & defensores quærerem. Semper enim mihi illa Theognidis admonitio placuit μήποτε τὸν παρεόντα μεθεὶς φίλον ἄλλον ἐρεύνα, id est, caue ne

præ-

præsenti amico dimisso alium inuestiges. Vobis igitur, viri Amplissimi, hunc meum qualemcunque laborem dico, vestræq; fidei & tutelæ committo: vos illum pro solita vestra in literas earumq; cultores beneuolentia hilari animo suscipere ne grauemini. Coloniæ è gymnasio Laurentiano, 22. Martij Anno cIↄ. Iↄ. LXXXII.

Vestrarum Amplitudinum
deuotissimus cliens.

Albertus Hero Sneecanus.

PRAEFATIO AD LECTOREM.



Ria ſunt, amice lector, de quibus te in huius operis veſtibulo admonendum duxi. Horum primũ eſt, quænam res mihi cauſam de prouidentia Dei ſcribẽdi attulerit, alterum quid præ cæteris, qui ante me in eadem palæſtra deſudarunt, præſtiterim, tertium quid obfuerit, cur non tam accuratè, quam optarem hoc volumen in lucem prodeat. Ad primum quod attinet, cum in varijs theologicę diſciplinæ capitibus explicandis multorum inſignium theologorum induſtriam enituiſſe viderem, moleſtè ferebam hanc de prouidentia Dei materiam hucuſque neglectam eſſe. Hæc enim ſemper mihi in primis digna eſt viſa, in qua explicanda præſtanti ingenio viri elaborarent; idque cum alias ob cauſas, tum maximè quod hæc fidei per quam viuimus, pręcipua baſis & firmamentum exiſtat. Etenim ſi mihi hominem dederis, qui ſacras literas diuino afflatu conſcriptas eſſe neget, facile ab hac eum ſententia dedu-

deducam, si modo res humanas à Deo curari persuasum habeat. Nam quęram ex eo, existimetne tantum esse humani ingenij acumen, vt suo Marte queat inuestigare, quę sit vera hominis beatitudo, quæ eius parandæ ratio, quo ritu Deus ab humano genere coli velit, quomodo cum peccando offensus est placari, & huiusmodi alia sexcenta. Et cum viderit neminem, quantalibet ingenij laude clarus extiterit, ausum sibi harum rerum intelligentiam arrogare, sed vel omnes tacendo suam ignorantiam confessos esse, vel si quicquam de ijs dixerint, ad eorum auctoritatem respexisse, qui ista diuinitus edocti putabantur: si aliquid habeat ingenuitatis, haud negabit maiores esse humanæ mentis tenebras, quàm vt ipsa per se hisce de rebus quicquam certi statuere posit. Inferam mox ego DEVM, cui ipse res hominum curæ esse fatetur, non cõmissurum, vt cum alijs minutioribus in rebus nostro generi non desit, in eorum nos ignoratione versari permittat, sine quibus beatè viui nõ potest. Esse igitur cœlestem inter homines doctrinam, quæ harum quæstionum explicationem contineat. Porrò cum quatuor in vniuersum sint doctrinarum genera, quę ab earundem sectatoribus diuino magisterio ad homines peruenisse dicuntur, si probem

Idolo-

Idololatras, Mahumetanos, Iudæos falsò hanc prærogatiuam suis erroribus vendicare; haud dubium erit, quin Christiana, tanquàm diuinum munus, omnibus, qui salui esse cupiūt, sit amplectēda. Id aūt vt planum fiat, nō tā argumētis, q̃ simplici eorū quę ab ipsis docētur cōmemoratione est opus. Tam enim absurda & ei9 maiestate indigna sunt, quæ nō solū idololatræ & Mahumetani, sed etiam nostrę tempestatis Iudæi de absolutissima DEI natura comminiscuntur, tam infeliciter quæ sit vera hominis felicitas expediunt, tam grauiter in tradēdo vero Dei cultu impingunt, vt portento simile sit, adhuc inueniri homines, qui illorum doctrinam à Deo profectam posśint in animum inducere. Tanta igitur est veræ religionis cum prouidentia DEI res humanas administrantis coniunctio, vt is leui negotio ad Christi vocem in ecclesia audiendam posśit adduci, in cuius animo fides diuinę gubernationis non vacillat. Exemplo sit nobis quod de seipso D. Augustinus libr. 6. confesśionum cap. 5. cōmemorat; se nimirum Manichæa tabe infectum vetus instrumentum primo malorū principio cum reliqua Manichęorum turba acceptum retulisse, sed hunc errorem deposuisse dum eius animum cogitatio subiçet, DEVM, cui res humanas curæ esse non dubi-

dubitabat, haud permissurum fuisse, vt tam excellens per omnes gentes earum auctoritas esset, nisi voluntatem suam per eas patefacere voluisset. Sed forte quemadmodum Antalcidas ei qui Harculem laudabat obstrepẽs, quis eum vituperat interrogauit, ita mihi quispiam obijciet, non esse dubiũ, quin tota fidei Christianæ structura huic dogmati velut fundamento innitatur, sed quis negat Deum humani generis curam habere, vt tam operosè illud probare fuerit necesse. Cui respondeo me non ignorare, quin melior, imò & maior pars humani generis, semper Deo mundi procurationem attribuerit. Verum & hoc scio, nullo non seculo insipiẽtes fuisse, qui in corde suo dicerent non esse Deum. Et si aliquãdo tale hominum genus repertum non esset, ea tamen est nostri æui infelicitas, vt præter Lutheranos, Caluinistas, Suenckfeldianos, Anabaptistas, Libertinos, etiam Atheorum vberrimum prouentum afferat. Posteaquã enim Lutherus prætextu priuatæ inspirationis ad licẽtiosam illam quiduis in dubium vocandi audaciam vulgo prçijsset, Christiani antea concordes, breui tempore in sectarum & opinionũ tam varia diuortia dissipati sunt, vt nõnulli cum in tanta disputãtium rabie quos sequi debeant cõstituere nõ possint, ad ecclesiã verò nõ

esse

esse redeundum apostatico spiritu instigati, tanquam certum ponāt, omnes omnino religiones, velut discordię fomites auersari incipiant. Pro horum igitur salute cum etiam CHRISTVS mortuus sit, charitas Christiana postulat, vt pro virili quisque remedia, quibus aspirante diuina gratia tam exitiali morbo leuari possint, in medium afferat. Non multò meliores atheis erant Zadducæi, vt qui nihil incorporeum crederent, animas verò vna cum corporibus interire opinarentur. Et tamen hi non ita pro desperatis à CHRISTO contemti fuere, quin de mortuorum resurrectione cum illis disceptarit. Plurima in propheticis & apostolicis scriptis loca occurrũt, in quibus viri illi sanctissimi indicāt, non esse alienum ab officio doctoris Christiani, ad extremam hanc insaniam refutandam se demittere. Dauid psal. 93. quàm nō solũ eleganter, sed etiā acutè cōtra eos disputat, qui Deum, quid in occulto ab hominibus geratur, ignorare dicebāt? Intelligite, inquit, insipientes in populo & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Sed fingamus, nullum ad homines tam cæcos ex huius argumenti tractatione fructum redundare, ideóne mox nulla causa erat huius operis aggrediundi? Erat & quidem

dem longè grauissima. Non enim paruæ voluptati bonis futurum est, salutarem & viuificam hanc de mundi regimine sententiam, tot rationis humanæ præsidijs fultam intueri. Gratissimum hoc genus philosophandi erit, quo simul & philosophiæ præcipua capita explicabuntur, & ea quę ꝑ se tradita nil nisi inutiles otiosorũ hominũ speculationes cótinere videbatur, tractandi noua ratione nouo splédore clarescet, & perspecta insigni eius ad alendam iustitiam & religionem vtilitate, verum suum decus, verumque apud homines pretium recuperabit. Atq; hæ causæ tanti póderis sunt, vt si nihil aliud quàm Christianus essem, haud importunus & à persona mea alienus hic meus labor videri posset. Nunc verò non ea solum ratione cóueniebat, hanc à me qualemcunque operam ad ædificationem domus DEI conferri, sed insuper ipsa philosophiæ professio, quam in gymnasio Coloniensi, quod vulgò Laurentianum dicitur, sustineo, me inuitabat, vt opus è cuius lectione philosophiæ candidatos discipulos meos aliquem fructum relaturos esse sperabam, in publicum emitterem. Tot annorum labor in theologia exantlatus flagitabat, vt si philosophicum quid scribendum esset, quàm minimum à theologia recederem, vt fidem facerem, me quando om-

nino

nino non possum, adhuc extrema saltem linea res diuinas tractare. Intellexisti, lector, quæ fuerit huius operis edendi causa, nunc quid in noua prouidentiæ defensione à nobis præstitum sit, paucis accipe. Primum argumenta quę adducimus pleraq; noua sunt: Quis enim tot ethicas rationes ad huius dogmatis confirmationem ante nos adhibuit? Quis ex inferioris mundi fragilitate, quis ex vniuersali diluuio, quis è spiritibus qui per inferiorem mundum vagantur, quis è regnorum & imperiorum ortu & occasu, quis ex rerum ad vitam vtilium inuentione vnquam singularum rerum & præcipuè humani generis à Deo curam geri demonstrauit? Porrò eas rationes, quas vel à philosophis vel à theologis ante me vsurpatas inueni, ita auxi & locupletaui, totque nouis adminiculis firmiores effeci, vt primi earum inuentores non amplius sibi illas vendicare posśint. Historias & magnorum virorum illustres sententias quam plurimas, toto opere cum ita res tulit inspersi. Argumenta quę contrà obijciuntur, si potui solui, si verò intricatiora essent, quàm vt à me enodari possent, ne id quod ignorarem mihi perspectum esse cogerer profiteri, satis habui ostẽdere, quod ea talia non sint, vt certiśsimam huius doctrinæ veritatem cuiquam suspe-
ctam

DE PROVIDENTIA DEI EX MVNDI OPIFICIO LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.



Voniam in præſenti nobis propoſitum eſt, oſtendere numinis prouidentia mundum adminiſtrari, cum ad eam confirmanda non parum momenti habitura ſit recta de mundi origine ſententia: non ab re erit, nonnulla de ea προλεγομένων loco afferre. Sciendum eſt igitur, veteres Philoſophos, qui de rerum principijs libros edidere, quanquam, vt ex eorum quibuſdam dictis intelligitur, quæ poſteriores ſuis monumentis inſeruerunt, de Deo non omnino male ſentirent: eius tamen opera in mundi conſtitutione & rerum origine deſcribēda, vel nequaquam, vel raro vſos fuiſſe. Anaxagoras, vt in Phædone Plato teſtatur, mentem ponit, quæ res in vnam miſcellam confuſas ſecreuerit. Attamen in progreſſu phyſiologiæ, mente neglecta ad materialem cauſam omnia reuocare vult. Diodorus Siculus, homo in primis addictus cultui Deorum tunc publicè recepto, & non vno loco taxans philoſo-

Veteres licet Deum agnoſcerent, non tamen ipſum faciūt mundi opificem.

losophos, qui prodigiosos euentus in causas naturales conferebant, cum mundi ortum describit, nullam facit Dei opificis mentionem. Est & inter Aristoteles disputatio, num sectæ princeps Deum agnoscat mundi causam efficiétem, an verò idem sit ἀυτογενὴς Aristoteli, nec aliter à Deo dependeat, quàm quòd is cœlorum globos in orbem conuertat, sine quorum reuolutione inferior hic mundus ignauo otio torpesceret. Alij igitur cum non facile viderent, quorsum Deo opus esset vlla in re, si is causa mundi effectrix negetur, in Atheismum prolapsi sunt, & vel solam materialem causam ad rerum constitutionem admiserunt, vt Epicurus atomos, Empedocles quatuor elementa, vel si vllam præterea causam efficientem agnoscant, illa non sit aliud, quàm insita quædam singulis rebus vis ad materiæ immutationem, quæ alio nomine natura dici solet. Vnus inter omnes Plato admodum apertè mundi opificium Deo tribuit, ita tamen, vt dubitetur, num materiam inter opera Dei recenseat: an illam potiùs à seipsa existere arbitratus sit. Certè Ambrosius, Basilius, Magister sententiarum, contendunt, Platonem in eo errore hæsisse, vt materiam crediderit non esse à Deo effectam. Omnes autem hos errores opinor ex eo fonte manasse,

Quæ origo atheismi.

Plato de mundi origine quid senserit.

ſe, quòd ſemper Philoſophis ꝑſuaſiſsimum fuit ex nihilo nihil fieri. Hînc enim nónulli, vt maximè admitterẽt Deum eſſe mũdi effectorem, materiam tamen ei ex ſe ipſa natam ſubiecerunt, ne cogerentur fateri, ex nihilo mundum creatum eſſe. Sed hoc iacto fundamento, mox ſequebatur, totam cœlorum ſubſtantiam à nullo effectam eſſe. Cùm enim cœleſtia corpora ortus, & interitus expertia ſint, id eſt, neq; generatione naturali in eſſe prodierint, neque corruptione naturali deſtrui poſsint: vel ergo nullam habent originem, vel aliam quàm naturalem. Atqui non recipit philoſophia hoc genus originis, quâ præter naturam res fiunt ex nihilo: itaq; cœlum ἀναίτιον confiteri debet. Quoniam verò abſurdum eſt, ſi ſubſtantia quarundam partium mundi à Deo effecta non ſit, vllam aduentitiam perfectionem ipſis à Deo attributam eſſe, eò quòd haud credibile ſit, rem quæ à ſeipſa quod potius eſt habet, id quod minoris præſtantiæ eſt, non habere: cùm negarunt Philoſophi, ſubſtantiam vllius rei eſſe cauſæ expertem, ſimul etiam illam curæ diuinæ ſubſtantiam perficienti, & eius defectus ſarcienti, ſubtraxerunt. En quibus gradibus ab eo, quod prima fronte exiguum videbatur, negare videlicet, mũdum ex nihilo factum eſſe, ad ignorationem Dei perueniatur,

Quod origo erroris de ꝓuidẽtia ſit error de mundi origine.

tur. Nos igitur in contrarium hoc argumentum retorquentes, primùm quidem firmis demonstrationibus ostendemus, aduentitiam mundi perfectionem tantum non exerta voce clamare, se numinis rerum omnium præpotentis opus esse: ac tum porrò & substantiam corporum mundanorum esse diuinitus effectam colligemus: non per naturalem generationem (est enim quarundam mundi partium natura prorsus ingenerabilis) sed per creationem, quód fides catholica docet.

Perfectiones aduentitiæ ex quibus probatur quęque res esse à Deo.

Sunt autem hæ perfectiones aduentitiæ partim accidentia quædam, partim ipsa naturæ conseruatio, partim vniuscuiusque rei quidam ad cæteras mundi partes ordo & nexus, per quem fit, vt quæ per se considerata minimum elegantiæ habitura essent, ea simul iūcta vniuersum longè pulcherrimum & absolutissimum constituant. In primo genere colloco omnes illas mutationes, quas siue in cœlesti corpore, siue in his inferioribus euenire cernimus, nec possunt in vllam aspectabilem causam referri, vt est cœlestium corporum æquabilissima periodus, & cætera, quæ cum de prouidentia sermo erit plurima afferemus, ad ostendendum, non sufficere causas naturales & nobis notas, ad reddendam omnium quæ in mundo contin-

gunt

gunt rationem. Hæc enim omnia ad præſens argumentum velut alibi demonſtrãda nunc mihi concedi poſtulo, non recuſans vt ſi illic lectoris expectationi non ſatisfecero, etiam quicquid modo inde confecturus ſum, multum robur habeat. Neq; hîc mihi quiſquam obijciat, non debere me prouidentiæ argumenta ad oſtendendam mundi effectionem accõmodare, cùm ideo me profitear de mundi origine tractare, vt ex ea Dei prouidentiam confirmem, ne videar probatione reciproca vti. Hoc, inquam, nolim hic mihi obijci. Nam cùm ſint quædam prouidẽtiæ documenta, quæ mundi effectioni non innitũtur, non mirum videri debet, hæc dogmata ἀμοιβαίως ſibi mutuo lucem afferre. Porrò quòd probato non eſſe motum cœli ab interno principio, ſequatur neque ſubãſtiam eius à ſeipſa exiſtere, ſed à Deo auctore profectam, tali argumento docetur. Primum ſumo, quod omnes Philoſophi confitentur, cœlum motu indigere, vt perfectionem ſuam naturalem aſſequatur. Cum enim patris locum obtineat in rerum ſublunarium genitura, nec poſsit ſemper eandem terræ partem ſuis radijs ſpectãs vitalem fotum eidem impertiri, perpetuo igitur motu ipſum contorqueri neceſſe eſt, vt naturæ ſuæ competentia munia queat obire. Motu verò deſtitutum

Ratio probãs Deum ſi motus cœlorum ſit cauſa, etiam ſubſtãtiæ cauſam eſſe.

tutum si fuerit, non solum fine suo naturali frustràbitur, verum etiam in eius contrarirum deuiabit, perniciem videlicet mūdi inferioris. Atqui si existentiam à seipso habet, motum verò aliunde, esse cœli prorsus necessarium est, bene verò esse ab alieno pēdet arbitrio. Quantum igitur in ipso est, perpetuæ imperfectionis sibi necessitatem imponit: sicut is quantum in ipso est perdidisse dicitur infantem, qui in silua illum exponit, vbi nescit an quisquam facturus sit iter, qui manum ei periclitanti porrigat, etiamsi fortè præter expectationem eius contingat aliquem præterire, qui pueri sorte commoueatur. Sed esse quicquam sibi ipsi, quantum in se est, necessariæ imperfectionis causam, rationi consentaneum non est. Facessat igitur Alexander Aphrodisiensis, qui cum Aristotele quidem cœlum à Deo moueri fatetur, causam verò efficientem habere negat. Restarent adhuc plura epicheremata, quibus idem confirmari potest, verùm ea inferius opportuniori loco adferemus. Illud superioribus adijcio, quòd multas impias de cœlesti numine coagitationes gignit hæc prouidentiæ sine mundi effectione confessio. Hic illa naturalis necessitas, quam Philosophia Deo affingit, hic prouidentia cœlo terminata, velut in equo Troiano inclusa, delitescūt.

Ex hoc fundamento quoque diuinæ omnipotentiæ negatio prodijt. Nam vt cœli motum periculo arbitrij diuini eximant, dicũt non posse Deum à mouendo cœlo sibi temperare. Postquam verò semel arbitrij libertatem ipsi ademerũt, immutabilem eius voluntatem rerum mutabilium procurationi intendere non posse, haud malè concludunt. Quomodo verò sua omnipotentia Deo constabit, si nil aliud, quàm velut figulus rotam, cœlum in orbem voluere potest. Et vt vno verbo id quod res est dicam, ipsissimus atheismus est hæc Alexãdri opinio. Quare quisquis vel minimum de Deo sani sapit, caueat ne in eum errorem se adduci patiatur, vt existimet motum quidem cœlestis corporis à Deo esse, substantiam verò causæ omnino expertem. Sed quomodo illud effugium ipsis eripiemus, quo se in tuto collocare volunt, dicentes Deum ad cœlum habere quendam naturalem ordinem? Non alio modo, quàm ostendendo fieri non posse, vt duæ diuersæ naturæ ordinem ad se mutuo naturalem habeant, nisi sint ambæ à communi opifice & auctore profectæ, ac proinde, si Deus & mundus eo modo comparati sint, vt vnus cum altero naturali nexu cohæreat, consequi vt Deo sit alius superior, qui & ipsum & mundum effecerit: quo nihil absurdius co-

gitari poteſt. Sed hæc demonſtratio melius in illum locum reijcietur, vbi ex naturali ordine partium mũdi inter ſe concludemus, ab vno cõmuni effectore ipſas originem ducere. Hactenus de ijs rationibus quæ prouidentia Dei mundum gubernantis nituntur. Adijciẽdæ nunc illæ, quæ nullius futuræ ꝓbationis expectatione ſuſpenſum lectorem relinquant.

Quod ex figura partium mundi eius colligatur eſſe vnus opifex.

CAPVT II.

A cœlorũ rotũditate.

EX figura partium mundi ſic ratiocinamur. Omnes mundi partes congruenti figura inſtructæ ſunt: cœlorum orbes illi longè vaſtiſsimi nullus eminentijs gibboſæ ſunt, nullis receſsibus cauatæ, ſed accuratiſsima æquabilitate circumductæ, & veluti detornatæ cernuntur: idque propterea, ne inter illos vel hiatus vllus admittatur corpore nullo refertus, vel ipſos ſe mutuo penetrare ad vacuitatem prohibendam neceſſe ſit. Terra ſola inter omnia corpora ſimplicia non omni ex parte rotunda eſt, cuius figuræ aqua & aër, qua parte ipſam attingunt, ſeſe accommodant. Sed quod illa non vndique in ſeipſam æqualiter vergat more cœleſtium ſphærarum, iuſta ratione

non caret. Primum enim varietas illa terræ quibusdam locis in planitiem extensæ, alibi rursum altissimorum montium iugis asperatæ, non solum spectantium pascit oculos, verùm etiam multiplicē vsum præbet mortalibus. Nam ex montibus fontes, & ex his fluuij per prona ruentes, planities alioqui infrugiferas futuras irrigant, pisces suppeditant, transuehendis ex mari quoquouersum omne genus mercibus vtiles sunt. Mitto nūc quod in solis montibus saxa, metalla, imò & herbæ quædam in remedijs non postremæ dignitatis, proueniant: quod homines corrupto in campestribus aëre ad montium iuga confugientes, haustu purioris auræ refocillētur. Quid verò de illo dicemus, quod tota illa sui parte, qua extra aquas tellus eminet, ita gibbo quodam deformata est, vt si sola spectetur, non verò cum cohærente secum elemento aquæ, prorsus à sphærica rotunditate recedat? Nonne res ipsa clamat, hoc datum esse saluti animantium, quæ non nisi in sicco viuere possunt? Atque hoc dico, illam litem in præsenti remittēs aduersarijs, qua aliqui, etiam maiori miraculo, contendunt, non terram aquis eminere, sed aquam in medio Oceano instar montis aceruatam consistere. Suffecerit enim mihi nunc planum facere, quàm opportunè terræ elementum

A terræ inæqualitate.

A siccitate vnius partis globi terreni.

tum figura sua à cæteris euariet, ad ostendendum id quod nunc agitur. Aut enim cõsilio sapientis alicuius architecti prouisum est, vt omnium mundi partium ea sit figura, quàm totius decor & perfectio maximè requirebat, aut cùm nullum corpus finitum sua forma carere possit, fortè fortuna euenit, vt illam vnaquæque sortita sit, quæ maximè cõgruebat. Casui profectò rem tantam nemo assignabit, nisi qui vix micam salis in toto corpore habet. Si verò alicuius numinis cõsilio tribuemus figurarum tam aptam descriptionem, neq; dubitari potest, quin ipsæ substantiæ hunc in modum figuratæ non à seipsis originem ducant. Nam vt de cœlis primum loquamur, si eorum substantia rudis primum à seipsa fuisse intelligitur, quàm ei Deus manum admoueret, quid accirit ramentis & fragminibus, quæ in cœlestium corporum dedolatione à tota mole auelli necesse fuit? An alicubi extra mũdum illa iacere fingemus? Sed quid ineptius? An quod vni parti detractum alteri accessisse statuemus? At solida & dura corpora non possunt in vnum coalescere, si id respiciamus, quòd per naturam fieri potest, nisi aliquo glutino intermedio. Sed neque tum verè in vnum coëunt: non magis, quàm duo tigna clauis sibi mutuo copulata. Itaque si maximè do-

nemus fragmenta cum toto ſyſtemate cohærere, in eas anguſtias redigemur, vt diuiniſsimum cœli corpus velut ollam veterem ex multis fragminibus compaginatam eſſe dicamus. Quod ſi Dei virtute ſupranaturali cenſemus à tota mole adhuc rudi hic aliquid detractum eſſe, alibi verò ſic adiectum, vt ex vtroque vnum ſiue intermedio glutine conſtitueretur, idem qui hac in parte naturæ legibus ſubiectus non fuit, neque in eo ſubiectus fuiſſe putari debet, vt cœlorum ſubſtantiam ex nihilo creare non potuerit. Dicet fortè quiſpiam, hãc rationem niti cœlorum ſoliditate & duritie inuariabili, quam ſine firmis ei demonſtrationibus tribuere nõ eſt Philoſophi. Cui reſpondemus quale cœlum nunc eſt, tale & perpetuo fuiſſe, nam ſi alterationis capax eſſet, interitui quoque obnoxium eſſet. Atqui non eſſe ipſum in præſenti fluxum inſtar aquæ vel aëris ex eo conſtat, quod tunc non poſſet volui in orbem ſine rarefactione & condenſatione, quarum mutationum comes eſt interitus. Nec in fluxo corpore ſemper æqualem à ſe mutuo diſtantiam ſydera retinere poſſent, id quod tamen inerrantia facere videmus Aut ſi placet cœlum ſtatuere immotum, ſtellis in ipſo circumuagantibus, præterquam quod hoc figmentum ab Ariſtotele multis argumentis reijcitur,

Ratio probans cœlũ eſſe ſolidũ corpus.

reijcitur,etiam ſic fatendum erit in illa rapiſsima vertigine alicubi ipſum rarius, alicubi denſius fieri, diuiſibile etiam in partes exiſtere, quorũ nihil in corpus interitus expers cadere poteſt Hæc ad eos,qui negando cœlum eſſe ſolidum, exiſtimarent ſe hac ratione non vrgeri, dicta ſunto. Quodſi quis per conſuetam atheorum rimam elabi vellet, affirmans ipſam cœli naturam ſibi hanc figuram quam habere cernitur determinaſſe, quomodo fructus arborum ſine adiumẽto externi agentis rotundi naſcuntur: videtur ille quidem aliquid dicere, ſed reuera nihil affert. Nam vtcunque fieri poſsit, vt natura rei globoſam formam tribuat, id tamen in cœlo non naturæ, ſed prouidentiæ opificis acceptum ferri debet. Quæro enim an ſtellæ ſint eiuſdem naturæ cum ſuis orbibus. Si non eſſe dicas, totam Peripateticorum ſcholam in te concitabis. Si verò concedas ſtellarum & cœli cui illigati ſunt eãdem eſſe naturam, quare cùm cœleſtes orbes excauati ſunt, & alterius naturæ corpore pleni, ſtellæ ſunt globi ſolidi nullum diuerſæ ſpeciei corpus incluſum geſtantes? Quod ſi tibi ex hac difficultate nullus patet exitus, ne dubites, cœlum à Deo tam æquabilem rotunditatem accepiſſe, & quod mox inde conſequitur, etiam ſubſtãtiam cœli ſupremi numinis

Non eſſe cœli figurã ab interno principio.

minis opus exiſtere. Tempus nunc eſſet ex figura partium in plantis & animalibus, eadem ſuo auctori Deo vendicandi. Nam in his mirabilis ſolertia opificis optimi & ſapientiſsimi ſe prodit: adeo vt quicquid in rebus animatis rotundum eſſe conueniebat, rotundum ſit: quicquid angulatum, angulatum: quicquid turbinatum, teres, aſperum, lene, omnia ea talem figuram ſortita ſint. Verùm quia hic ſcio non deſiderari externum figuratorem, ſed exiſtimari vim quãdam σχηματιστικὴν in ſeminibus ineſſe, quẽadmodum & cætera, quæ in animalibus tam prouidè inſtituta miramur, ad vim in ſemine latentem reuocare nonnulli ſolent, idcirco de illis coniunctim agere ſatius erit.

Idem ex magnitudine partium mundi probari poſſe.

CAPVT III.

QVOD ſi quis & molem ſingularum mundi partium contempletur, videbit illam teſtimonij vicem ſuo creatori reddere. Nam & hæc vnicuique tanta contigit, quanta ad vniuerſi optimum ſtatum deſiderari poſſet. Cœleſtium corporum magnitudo nec maior nec minor eſt, quàm pro modo inferioris mundi portionis, vt neque nimio caloris influxu ipſam vaſtet ac obruat,

at, neque nimia virium debilitate fouere quãtum ſatis eſt nõ valeat. Et quod non minus ad vniuerſi integritatem requirebatur, tanta eſt infimi cœli concauitas, vt ad amuſſim reſpondeat elementorum, quæ intra ipſum concluſa ſunt magnitudini. Quod ni eo modo prouiſum eſſet, vel inane inter cœlos & inferiorem mundum relinqueretur, & ꝓinde cœleſtes influxus ad nos, intercepto medio, peruenire non poſſent; vel ad inane illud complẽdum neceſſe eſſet ignem & aërem plus iuſto attenuari. Simili modo cœlum Mercurij æquam lunaris cœli magnitudini concauitatem ſortitum eſt, & cæterorum ad ſubiectos orbes eadem ratio. Porrò ſi vniuſcuiuſque partis tam æquum pondus ac mẽſura, & vniuerſi integritati tam accommodata, non poſsint ἀὐτομάτως ſine alicuius numinis prudenti conſilio rebus acceſsiſſe, ſed libratorem aliquem ſingula vti par erat trutinantem, tam euidentibus argumentis commoti requirimus, profectò & illud fateamur oportet, ipſam mundanorum corporum ſubſtantiam ſuo non carere auctore. Cùm enim corporearum naturarum magnitudo non debeat exiſtimari poſterius iiſdem accedere (ſiquidem corpus ſine magnitudine non eſt corpus, aut ſi ſit, non erit ſine ingenti miraculo, cui peragẽdo ſolus omnipotens

otens sufficiat,)quisquis ergo dicit suam v-
icuique portioni molem esse diuinitus at-
ribútam, idem & ipsas earum substantias
Deo asignet necesse est. Præsuppono enim, quod antea demonstratum est, materiam, unde cœlum constat, nunquam fuisse alteri formæ subiectam, ne quis dicat, materiam quandam transeuntem, vt Philosophi ap-
pellant, eamque ἀγέννητον ante mundi exor-
dium fuisse, vnde tantum decerptum sit, quã-
tum vniuscuiusque partis futura moles exi-
gebat, ac inde tum quamque mundi partem
fabrefactam esse per naturalem generatio-
nem, atque eo modo nihil opus fuisse Deo
totam substantiam rei constituente. Hoc in-
quam ne quis ducat, præsuppono cœli mate-
riam nunquam formas ob naturalem eius
corporis immortalitatem variasse. Nam re-
uerà hoc euincunt Aristotelis rationes con-
tra Platonem in vltimo capite lib. I. de cœ-
lo, cœlum si naturali generatione ortum fu-
isset, non posse non interire. Sed quid si di-
catur materia esse ἄμορφος, & Deum ex illa
tantam partem pro vnoquoque corpore de-
traxisse, quantam eius forma postulabat, ac
illi deinde formam impresisse. Hæc enim neque erit naturalis generatio, vt verè dum non sit corruptionem ex illa consecutu-
ram: neque totam rei substantiam Deo tan-
quam

Materiam cœlorum non fuisse sub alia forma.

Nō esse mūdum ex materia prorsus informi effectum.

quam auctori afferit, quod tamen nos fieri debere contendimus. Verùm contra eos qui hoc obijcerent, primum dicendum occurrit, quod si materia fingatur ex se informis, non à Deo effecta, sed tantum formata esse, ergo si non temporis, saltem naturæ ordine sua forma prior existat necesse est, quemadmodum Deus vt minimum ordine naturæ prior suis operibus intelligi debet. Sed fieri non potest, vt prima materia, τὸ ἀδιατύπωτον illud ἄισχος, omni forma prior sit, vtpote à qua habet quod subsistat, omni ex se actu destituta. Nam si ipsa per se sine forma subsistere posset, velut ἀποτέλεσμα, non posset in alterius integri compositionem adhiberi. Et quanquam disputetur à Philosophis, num materia queat sine forma per diuinam omnipotētiam conseruari; id tamen extra controuersiam est, ꝑ naturam imposibile esse, vt materia sit antequam formetur. Itaque hunc modum generationis mundi qui statuerent, rem non minus insolitam, & à naturæ ordine alienam affirmarent, quam qui totum vniuersum vna cum sua materia ex nihilo conditum aiunt. Imò multò incomprehensibilior esset illorum quàm horum sententia. Nam hi licet creationis ex nihilo nullum posint exemplum in operibus naturæ ostendere; facilè tamen demonstrant, Deum

naturæ

naturæ legibus non esse subiectum: illi verò materiam contra leges naturæ ponunt, ante omnem formam extitisse, idq; non per Dei potentiam, sed per seipsam. Atque ita fit, vt eam incredibili modo faciant & à seipsa, & in composito per formam subsistere. Caret etiam exemplo naturali is modus nascendi. Quicquid enim vi naturæ gignitur, ex rationibus quibusdam seminalibus in materia latentibus gigni solet; quare miraculo fuit habitum, quòd virga Aaronis, quæ lignum aridum erat, formam arboris recuperarit, etiamsi huius transmutationis subiectum esset materia. Quocirca Philosophus, qui creationem ex nihilo reijcit, quia nullum eius in natura exemplum extat, hunc modum originis rerum, ponere nõ debet. Non ignoro, lumen & species colorum in aëre ꝓduci sine rationibus seminalibus, sed præterquam ꝙ hæc accidentia sunt, tam debilis est eorum existentia, vt recedente causa mox euanescant. Quomodo substantiales formas à Deo pendere si concedat Philosophus, labore ꝓuidentiam astruendi nos leuabit. Sed hæc hactenus. Reliquum nunc esset, ex inferiori mũdo petitis exemplis ostendere, nihil esse quod vel maius vel minus sit, quàm optima eius cõstitutio flagitat. Nam reuera sic se res habet in omnibus ὅσσα τι γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ

Ex inferiorum corporum magnitudine ꝓbatur ea esse Dei opera.

ἴςπει. In toto enim animantium imò & stirpium genere singulæ partes tam iustam magnitudinem adeptæ sunt, vt si quid addere vel detrahere velis, nō solū decus & omnem venustatem abolcueris, verùm & vsum & sanitatē. Quid enim aliud est sanitas, quàm primarum qualitatum in animalibus iusta proportio? Verùm hîc fortasse nonnulli existimabunt, ad virtutem formatricem in semine latētem esse referendum, quòd vnumquodque membrum congruam molem habeat. Sed hi considerent velim, quæçunque tandem sit ea vis formatrix, non aliud quàm figuram vnicuique parti ipsam tribuere, magnitudinem verò eius à materiæ copia paucitatéue pendere, quæ licet quoadusque semen est simplex videatur, potestate tamen multiplex fuisse calore ipsam coagulāte apparet. Tunc enim vna eius pars in ossis materiam transit, alia in nerui, alia in alterius partis. Quæro ergo nunc, vnde fit, vt tantum de vnaquaque parte in semine lateat, vt seruetur membrorū inter se debita analogia? Si dicas id fieri, quia parēs ei vim impressit, per quam fit, vt partes singulæ parentis mirabili modo in ipso contineantur, seruariq; earum in semine eandem ꝓportionem, quæ in patre fuit: tunc rursum quæstio occurret, vnde in parente singulorum membrorum
tam

tam iusta descriptio. Idque donec vel ad primum animātium opificem perueniatur, vel sit ἀναίτιον, & casu benè habeat, vnde salus & vita animantium pendet. Possem hoc loco & ex elementorum inter se tali proportione, vt vnum ab altero euinci & interimi nequeat, argumentari, nisi quæ hactenus allata sunt tam illustria essent, vt qui illis non mouetur, is nullis rationibus cessurus videatur. Ad aliud igitur argumentum nunc trāseundum.

Idem ex numero corporum, ex quibus mundus componitur, demonstrari posse.

CAPVT IIII.

EX numero partium vniuersi, Deum substātiæ earum auctorum esse, antequam doceo, prius ingenuè fateor non omnium numerum certa ratione constare. Quædam enim num tali aut alio numero cōdita sint, arbitrarium existimo, verbi causa, num stellarum numerus, quæ sphæram ἀπλανῆ occupant, sit vna vel maior vel minor. Sed quia nonnulla partim in suprema mundi regione, partim in hac nostra sublunari eo numero esse visuntur, cui si accessio aut detractio vlla fieret, totius vniuersi harmonia turbaretur, id sapientis alicuius consilio prouisum esse aio. Quis enim cre-

Sol cur vnus.

dat, casu factum esse, vt vnus tantum in mũdo Sol existat, cùm si plures essent, certam inferiori mũdo perniciem afferrent. Nam si in eadem sui orbis parte consisterent, nimijs ardoribus omnia torrerent. Quid enim duplicatus Sol facturus esset, ex eo conijcere licet, quod vnicus ille, quem nunc habemus, tantum æstate negotij terræ incolis facessat. Si verò in aduersis sphæræ suæ partibus constituti essent, dierum & noctium vicissitudo, hyemis & æstatis iucundissima pariter & vtilissima alternatio tollerentur. Rursum

Luna cur singularis.

ꝙ vnica duntaxat Luna existat, quàm necessaria ratione comparatum est? Finge enim plures esse, & similiter, si propinquis locis sui orbis collocatæ sunt, nimio humoris auctu, hunc inferiorem mundum pessundaturæ sunt: sin procul ab inuicem disiungantur, nunquam silente Luna futurum est, vt humorum in corporibus incremẽtum nullo statu vel diminutione interpoletur. Quod si cæterorum siderum officia nobis tam probè cognita essent, quàm Solis & Lunæ, mox & numeri eorum ratio conspicua fieret; verùm quia eorum munia non perinde nota sunt, & elementa vnitatem ex motu ad eundem locum sortiuntur, idcircò ad mistorum contemplationem accedamus. Anne igitur solertissimi opificis industriam testatur, ꝙ

in

in genere bestiarum. quæ alijs prædæ sunt, ac magno numero deuorantur, ceu sunt lepores, cuniculi, & id genus reliquæ feræ, quarum venatu homines & bruta victitant, tam vberi fœcunditate progignũtur, vt alijs iam conceptis aliam sobolem superfœtent: contra verò quæ aliorum vitæ insidiantur, vt leones, vel vnicum, vel paucissimos fœtus singulis partibus edant? Nam quis non videt quod si vtrunque genus animantium pari numero gigneretur, periculum forè, ne rapacium voracitate species aliqua de vniuerso aboleretur. Quod si nunc idem argumentum in partibus singulorum animantium ꝓsequi vellem, si oculorum, pedum, aurium & cæterarum partium numerum sua ratiõe haud carere ostenderem, amplissimus dicendi campus mihi propositus esset. Verùm quæ natura ipsa gignere videtur, illis peculiarem locum seruabo. Illud solum breuiter adijciendum, non habere hîc locum illud effugium, quod numerus quidem partium mundi sit alicuius sapientis architecti consilio institutus, substantia verò ἀυϑογενής. Nam adeò non potest à substantia numerus separari, vt quod numeros suos non habet, non sit omnino. Nec mihi obijcias, solem & lunam non esse substantiarum, sed accidétium nomina, cùm nihil aliud sint stellæ,
 quam

quam densiores partes sui orbis. Nam vt hoc concedatur, certum nihilominus est, cœlum non esse alterationis capax, ac proinde non debere intelligi prius ipsum fuisse, quàm in solem aut lunam densaretur. Quare si densitatis siderum Deus sit causa, simul & substãtiam earum creauit, & congruam ipsis densitatem impertijt. Aut saltem Philosophis, qui negant Deum naturæ ordinem immutare posse, integrum non est cœlo iam effecto alterationem tribuere.

Quòd ex situ earundem partium doceri possit Deus esse mundi conditor.

CAPVT V.

PAR momentum ad eiusdem rei demonstrationem habet situs partium mundi non oscitanter inspectus. Vt enim à cœlo exordiamur, supremum inter cœlestia corpora locum obtinet, quod multis collucentium stellarum ignibus refertum est: cui si inferior locus attributus esset, astra superiora interpositu suorum luminum maxima ex parte è nostro aspectu auferret. In hoc etiam sidus quoddam ita ad borealem plagam situm est, vt cum cætera diurno cœli motu sursum ac deorsum raptentur, hoc fixam perpetuò sedem retineat. Quo ad iter demonstrandum hominibus,

qui

qui in desertis locis,aut vasto mari intempesta nocte vagantur,nihil oportunius excogitari potuit. Adde his quod in planetarum orbibus sol medio loco, tanquam rex cæterorum consistat,quodque luna quæ sua mutabilitate ad naturam inferioris mũdi quam proximè accedit, infima inter omnes sede locata sit. Aiunt & Astrologi,Saturnum ideo tam procul à terris abesse,quòd vim habeat frigefaciẽdi,quæ est qualitas vitæ quàm maximè inimica, eique & Marti, ad eorum malignitatem temperandam,Iouem medium interpositum esse. Notatum etiam ab Astronomis est, Planetas q̧ minimos epicyclos habent, longiùs à sole abesse. Adeo vt Saturni minim⁹ sit Epicyclus,maior Iouis, maximùs Martis. Quàm epicycli eius magnitudinem ex eo deprehendere licet, quod aliquando instar Hesperi fulgere, aliquãdo stellis secũdæ magnitudinis haud maior esse videatur, vt non nisi à rerum cœlestium peritis agnosci queat. Rursum à diuersa solis parte proxima ei Venus maximò epicyclo reuoluitur. Cùm enim ratione motus sui æqualis semper solis vestigijs hæreat, propter epicycli amplitudinem contingit, vt circiter quadraginta graduum interuallum à sole digrediatur. Minorem quàm Venus epicyclum Mercurius habet, vt qui non vltra

Situs Planetarum variat pro epicyclorum magnitudine.

23 gradus ratione sui epicycli à sole recedat. Minimus est lunæ planetarũ infimæ epicyclus. Nam cùm maximè differunt verus & medius motus, quod fieri solet in quadraturis, differentia non est maior 7. gradibus & 40 scrupulis, in qua tamen etiam centri epicycli prostaphæresis computatur, vt norunt qui rerum Astronomicarum periti sunt. Atque hunc in modum se habet ordo epicyclorum, aptißimè congruẽs planetarum ad solem propinquitati. Eodem pertinet, quod cum elementa pro leuitatis ratione singula alijs superemineant, is ordo in terra & aqua immutetur, ac terra non exigua sui parte aquis multò se leuioribus extare cernatur, idque in gratiam illorum animantium, quæ non nisi in sicco viuere poßunt. Cùm verò haud dubium sit, quin id, quod tam præclarè constitutum est, non sit casui aut fortunæ tribuendum, in opificem mentis & consilij compotem conferri debet. Nunc porrò, si partium mundi collocatio cómoda est Deo aßignanda, sequitur & totam earum essentiam à Deo profectam esse. Nam etiamsi elementorum situs inuerti potuerit, postquam substantia eorum absoluta fuit, id tamen de cœlestibus corporibus dici non potest. Non enim diuisionis capax est indomita cœlorum natura: atqui sine diuisione vtrisque

uſque non poſſet lunæ orbis in locum Mercurij transferri, aut viciſsim Mercurij ſphæra ad lunæ locum traduci poſſet.

Quod ex accidentibus, quæ in operibus naturæ cernuntur idem demonſtretur.

CAPVT VI.

VT eluceſcat etiam naturæ opera teſtari, Deum eſſe rerum omnium cõditorem, primò ſciẽdum eſt, quemadmodum accidentia quædam in ipſis mundi præcipuis partibus oſtendimus neceſſaria ratione conſtare, ita, vt, ſi aliter ſe haberent, totius vniuerſi perturbatio ſequeretur: ſic multò cumulatiùs idem in ijs apparere, quæ à natura progignuntur. Hic enim adeò nihil otioſum aut inerseſt, vt vulgatiſsimum ſit in Philoſophia prouerbium, naturam nihil fruſtra facere, vtque qui impietatis morbo laborãt, ad naturæ mẽtionem velut rei multò diuiniſsimæ non poſsint non venerabundi aſſurgere. Itaque Plinius operum naturæ præſtantia commotus, ijſdem laudîbus eam celebrauit, quibus nos Deum. Et nemo mortalium, non dico indoctorum, ſed neque philoſophorum aut medicorum, qui in operibus naturæ contemplandis conſeneſcunt, ſui ingenij mediocritate queat aſſequi, verbiſque pro rei dignitate explicare, Naturæ encomium.

quicquid natura pro ſuorum operum ſalute & incolumitate machinatur. Nec ignota eſt, quæ de hac re fabula vulgo commemoratur, quendam videlicet, dum in horto ſuo deambulans pepones intueretur humi iacentes, accuſaſſe naturam, quod fructus minutos in ſublimi ſuſpendiſſet, maiores, ceu ſunt pepones, humi præter eorum dignitatem reliquiſſet. Hic dum paululum progreſſus eſſet, pirum ex arbore delapſum in faciem eius incidit, eumque graui dolore affecit. Tunc ille conſiderans apud ſemetipſum, caput ſibi comminuendum fuiſſe, ſi pepo aliquis ipſius fronti tanto impetu impactus fuiſſet, ſententiam correxit, naturamq; rebus humanis optimè cõſuluiſſe, minutiores potius quàm grandiores in ſublimi ſuſpendendo, malo ſuo doctus, agnouit. Hæc eſt illa natura, quam Ariſtoteles bonam matremfamilias, Hippocrates iuſtã appellauit. Huius admiratione defixi nonnulli, exiſtimarunt etiam brutis ineſſe rationem. Et quid dico brutis, cum non defuerint, qui naturæ mirãda opera in arboribus, herbis, gemmis, alijsque rebus intuiti, in eam adducti fuere ſuſpicionem, vt crederẽt nullum corpus ratione carere, ſolumque ea re hominem cæteris antecellere, quod is manus & linguam habeat? Videbant enim nihil eſſe tam ſtupidum

Ariſtoteles Hippocrates teſte Galeno 1. de nat. facult.

dum, quod non vtilium & noxiorum quédam ſenſum haberet, & hæc quidem fugeret, illa perſequeretur. Vites inimicas ſibi braſsicas velut certam perniciem exporrectis in diuerſum palmitibus auerſari; vlmos verò tanquam ſuæ imbecillitatis fulcra ſuis clauiculis circumplecti, vt ex innumeris rebus vnum hîc loco exempli ponam. Propter hanc naturæ tantam ſolertiam, creditum eſt à tota Platonis ſchola, Deum ire per omnes,

Terraſq; tractuſq; maris cœlumq; profundũ,

Ac nihil aliud quàm Dei volũtatem eſſe, quæ vniuerſa gignat in hoc ſublunari mundo, quam ipſi mundi animam nuncupârunt. Quæ igitur tam barbara mens, tamque profundo impietatis lethargo ſopita reperiri poterit, quæ ad tantam lucem non expergefiat, nec in tanta operum naturæ diuinitate Deum naturæ fontem cum grati animi teſtificatione agnoſcat? præſertim cum hac ratione magno compendio ſe difficillimarum quæſtionum tendiculis expedire queat, alias in rerum inexplicabilium enodatione fruſtra deſudatura. Agè enim, tu qui animantium & ſtirpium naturam à Deo profectam negas, hoc argumẽtum, ſi vir ſis, dilue. Quod in naturæ operibus cuncta ſic ſe habent, vt ſalus ac optimus eorum ſtatus poſtulant, vel

Argumẽtũ docens Deum eſſe naturæ auctorẽ, eſt rem.

est ἀπὸ προαιρέσεως, seu de industria sic comparatum, vel aliud agente natura, fortè vsuenit, vt omnia rectè ad vsum & incolumitatem digesta sint. Verbi causa, vt materia quæ à parentibus ad generationem confertur, aliqua sui parte in eiusmodi temperiem figuramque transeat, qualem nunc oculos habere cernimus, postea verò præter naturæ voluntatem apparuisse, quod vis cernendi ex tali materiæ dispositione promanet. Prius horum si dicamus, necessariò sequetur, Deum esse animātium auctorem, seu prima indiuidua fabricando, vnde cætera deinceps progigantur, seu singula sigillatim ex materia, quam parentes subministrant excitādo. Cùm enim natura ipsa per se mentis compos non sit, non alia ratione dici potest operis, quod fabricata est, vsum sibi propositum habuisse, nisi quia ab aliquo intelligéte vim generādi adepta est, qui in finem & scopum, ad quem peruenit, ipsam destinauit. In exemplo res fiet clarior. Non rectè diceretur ignis, quo cibi coquuntur, id spectare vt ij humanis vsibus aptentur, nisi quatenus est instrumentum coqui in hoc igne vtentis: verùm si per se consideretur, nil nisi rariorem & molliorem facere velle materiam sibi appositam dicendus esset: nec sua referre, quod eo modo affecta sit humano esui magis idonea.

nea. Quod si in finem suum à Deo natura dirigitur, efficitur ipsam Dei operibus sine dubio annumerandam esse. Nam impetus ille, quo ad scopum suum natura contendit, non est aduentitius, qualis sagittæ dum à iaculatore ad album dirigitur; verùm est ab ipsa inseparabilis, ex substantiæ cópositione proficiscens; vt quisquis eius auctor dicitur, multò magis substantiæ auctor dicatur. Si verò cum Epicuro posterius illud amplectaris, & spontaneo quodam impetu materiæ à seipsa oriundæ corpora viuentium efformata existimes, vide quæ hanc tuam opinionem sequantur incommoda. Primum quæ præter opinionem & fortuito rectè & vtiliter se habere contingit, rara & inusitata sunt. Legimus quendam vomicæ graui dolore conflictatum, cum cruciatus magnitudinem ferre non posset, armis correptis in hostem ijsse. Sperabat enim forè, vt in pugna occumbens, dolore leuaretur. Verùm casu euenit, vt ictu hostilis gladij vomica aperiretur, & is qui moriendi certus in pugnam descenderat, erumpente purulentia sanitatem recuperaret. Refert Plutarchus, pictorem quendam, posteaquam sæpè frustra tentasset spumantem equum ad viuum exprimere, tandem ira percitum, spongiam in os equi impegisse, ac fortè fortuna accidisse, vt

Impetus naturalis in finem ex ipsa natura profluit.

Fortuita omnia rara.

Plutarchus libro de fortuna.

ex

ex illa colorum confusione & perturbatione spumæ expresſiſsima effigies resultaret. Aliquando diſciſsis lapidibus quædam Paniſcorum extrema lineamenta in ijs apparuiſſe memorantur. Sed quid hæc ad opera naturæ, in quibus nec appetitus, nec motus, nec facultas vlla non ſumma ratione conſtituta eſt? In quibus nec figura vllius particulæ ſiue ſimilaris, ſiue diſsimilaris, ſiue magnæ, ſiue parua; nec magnitudo, nec multitudo, nec ſitus, nec temperies, nec mollities, nec durities, nec aſtrictio, nec laxitas, nec raritas, nec denſitas ſuis vtilitatibus carent. Idque cum Galenus eruditiſsimo & verè philoſophico illo ſuo opere de vſu partium luculentiſsimè demonſtrârit, hîc repetere ſuperuacaneum eſſet. An ne quia fieri poteſt, vt vnius dictionis literæ in ollam coniectæ, & poſtquam ſuſque deque iactatæ fuerint, denuo effuſæ, caſu ita digerantur, vt dictionem repræſentent: ideo concedemus totam Terentij Andriam fortuita literarum effuſione prodire poſſe? Cùm domum aliquam inſtructam omnifaria ſuppellectile, eaq; nitida & congruis locis diſpoſita, ingreſsi ſumus, non dubitamus, quin prudens paterfamilias eam digeſſerit. Cùm harmoniam ex grauibus & acutis ſonis temperatam audimus, mox animum ſubit cogitatio

tatio artificis eam temperantis: & conſpecto operum naturæ mirabili artificio dubitabimus, num mens aliqua eorum effectioni præfuerit? Adde quod, ſi vſus partium in rebus animatis non ſit ſtudio quæſitus, ſed ipſorum animantium ſolertia inuentus, nonnulla igitur attentione opus erat, antequam innoteſceret. At verò homini manus ad prêſandum, pedes ad ambulandum datos eſſe, ſtatim atque ipſam manuum ac pedum figuram & ſitum intuitus fueris, deprehendes; vt vſus illarum partium nõ tam induſtria quæſitus, quàm ab ipſa earum conſtitutione ingeſtus eſſe videatur. Ac ſi vllo modo credibile ſit in hominibus, vſum membrorum ipſa vtentium ſolertia excogitatum potius, quàm à natura expetitum, eo quod inſolens non ſit per homines nouis inuẽtis vitam excoli & locupletari, rebus quibuſdam humano acumine ad vſum accõmodatis, ad quem principio minimè inſtitutæ erant: quis tamẽ de brutis animalibus id credat? Quis poſsit in animum inducere, piſcem ſtupidiſsimum animal, pinnas ſuas in id nequaquam factas, vt ijs velut remis in natatu vtatur, proprio ingenio ad eum vſum accommodare potuiſſe? Quod ſi quiſquam tam perfrictæ frontis ſit, vt non erubeſcat, beſtias facere vſus partium ſuarum inuentrices, huic vitu-

Vſus rei ſtudio quæſitus, aut caſu inuentus, non ſtatim atque res cõſpicitur apparet.

los

los opponam, qui nondum cornuti, illa frõtis parte aduersarium petunt, vnde illis cornua propululatura sunt. Opponam & catellos adhucdum edentulos, qui gingiuarum, vnde ipsis dentes aliquando nascentur, compresione, se, cum lacessuntur, defendunt. Hîc enim nihil prorsus habent quod tergiuersentur, nec dicere possunt vel cornua vel dentes ea gratia factos non esse, vt bestijs, illis armorum loco sint, sed ab ipsis bestijs, quòd ad id valerent, deprehensum esse: verùm confiteantur necesse est, naturam à qua bestiæ membrorum suorum vsum antequam nata sunt edocentur, eũdem vsum sibi in earum constructione propositum habere. Et quid opus in re tam clara argumentis, cùm si semel concessum fuerit, naturam sine opifice Deo tam aptè ad vsum singulas animalium partes elaborare, de tota Philosophia conclamatum sit? Nulla enim via supererit, qua vlla formà substantialis demonstretur: sed in scholas denuo admittenda erit atomorum illa turba, quibus Democritus & Epicurus cuncta gignebant, vel alia quedam causa materialis agnoscẽda, cuius temeraria agitatione singula fiãt. Formas enim substãtiales inesse corporibus, ex eo colligimus, quod non quiduis ex quouis gigni posit, sed ficus ex ficu, faba ex faba duntaxat, & ita deinceps.

Nõ potest ostẽdi, esse formas substãtiales, si naturæ opera casu benè habeant.

inceps. si enim fici totá substantia nihil aliud esset, quàm materia certis qualitatibus temperata, nulla reddi posset ratio, cur ex ficu, & non aliunde posset ficus progigni, cum non appareat cur illa temperies materiæ non aliunde posset originem ducere. Verùm hoc argumentum nullius pretij erit, si à casu dicamus generationis animalium fundamenta posita esse. Nam si illa sine sapiétis architecti cósilio, vel cum non essent aliquãdo spótaneo materiæ concursu incœperũt, vel perpetuo constituta intelliguntur, quis mirabitur deinceps, sine efficiétis formæ opera per fortuitam materiæ iactationem vnumquodq; suo parenti simile esse? Sed neque constare poterit, animam rationalem inesse homini, si naturæ fabricam temeritati fortunæ acceptam feramus. Etenim qua alia re cognoscit quisque se animam ratione preditam sortitum esse, nisi quia se ratione & consilio vti in rebus agendis experitur? Atqui si opus tantæ sapientiæ atque est homo & cæterorum animalium vnumquodq;, sine cósilio & sapiétia in lucem prodijt, cur non item & fortuito cuidam simulacrorum in hominis sensus incursui, quem Epicurus ponit, ipsos conceptus sapientiæ tribuemus? Idque cùm animaduertissent ij, qui hanc de rerum origine sententiam amplexi sunt, etiam vltro

faſsi ſunt ſe animas non habere, ac hominem nil aliud quam certam quandam corporis temperationem exiſtere. Fumus afflatus eſt in naribus noſtris, inquiunt in libro ſapientiæ Epicureæ ſentétiæ patroni, & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum. Quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër. Ac video Epicurum, etſi cætera ſtultum, eo tamen nomine laudandum eſſe, quod, vti Galenus libro primo de naturalibus facultatibus ſemper Aſclepiadem feciſſe ait, ſuis principijs hac in parte conſentanea dicat: quoſdam verò peripateticæ Philoſophiæ ſectatores vituperatione dignos eſſe, quod τὸ ἀκόλουθον ſuorum principiorum in hac diſputatione non animaduertant. Hæc ad eos qui caſu aiunt factum eſſe, vt animalium partes tam idoneam ſtructuram adeptæ ſint, dicta ſunto. Vbi admoneo parum referre, ſiue dicamus prima quædam indiuidua fortuita atomorum conglobatione orta eſſe, ſiue naturas ſingulas, tam aptam cõſtructionem æternis retro ſeculis habuiſſe. Quamuis enim nõ ſtatim prima fronte abſurdum videatur, ſimplex aliquod elementum cauſæ expers ſe perpetuo propagàſſe, id tamen de animalibús & toto viuentium genere non eſt credibile. Sunt enim in ipſis quatuor elementa

ad

ad tantam harmoniam redacta, vt ex ijs alia quædam mixti forma resultârit. Mox igitur ad tam concinnam rerum diuersarum compositionem desideratura est mens hominis ἁρμοστὴν & veluti quendam concinnatorem. Quod si dicat quispiam cœlo eas vires inesse, vt elemētorum cōtrarietatem cōciliare posit, adhuc quærēdum restabit, vnde ad elementa accesserit anima. Neq; enim ea in elemētis velut semine latet: nam alioq; nō esset impossibile, ex terra nasci equos & id genus alias bestias. Nec à cœlo deduci potest; qa neq; hoc cōcesso vlla apparet ratio, cur nō nisi ex equo equus gigni posit. Atqui mōstri simile esset, animā ꝑpetuò ex anima velut lumen à lumine accendi, corpus verò suam compositionem ex alijs causis nactum esse, & tamen vnum alteri tam apposite cōgruere, vt melius non possent, etiamsi maturo consilio vnius sapientissimi architecti inter se coniuncta essent. Augebitur verò huius rei miraculum, si quis cōsideret non solum corpus animæ quam aptissime congruere, verùm & domicilij quod vnaquæque res inhabitat, conditionem vtrisque. Quid enim portentosius quam animam, quia sine respiratione non potest manere in corpore, non solum pulmones arteriam & cætera instrumenta respirationis inuenire in corpore

quod inhabitatura eſt; verum etiam in tali loco naſci, vbi perpetuo ad manum habeat ſpiritum, quem per pulmones attrahat ac rurſum emittat? Quid magis inopinatum, quàm non ſolum oculos ad parãdam rerum cognitionem in corpore, loco quam maximè idoneo ſitas inuenire: verumetiam lucem & perſpicuum mox in promptu habere, quorũ hoc lucem in ſe admittat, illa verò res alioquin in tenebris latituras oſtendat? Quid mirabilius, quàm piſcibus non ſolum præter expectationem pinnas obtigiſſe, quibus remorum loco vtãtur, caudas quib9 velut gubernaculis curſum moderentur; ſed & liquidum nanciſci ἐνδιάιτημα, ſine quo ſuperuacanea hæc organa forent? Poſſet idem de auium pennis & alis dici, verùm ſuffecerit ipſum genus vidiſſe. Quin igitur, ne dum creationis miraculum tanto fugimus opere, in alia multò magis ſtupenda miracula incidamus, id quod res eſt fatemur, quòd videlicet cùm anima corpori, corpus ſuæ habitationis loco tam aptè quadret, vel vniuerſum velut domicilium ſuis habitatoribus aptatum eſſe, vel incolas tales à Deo factos, quales domus quam erant inhabitaturi admitteret: vt hæc res argumento ſit, vel mundum, vel ipſius incolas à Deo factos eſſe. Quorum alterum qua ratione concedimus

ab ipſo

ab ipso effici potuisse, etiam reliquum concedemus.

Quod ex mutua conseruatione pertium vniuersi, vnus earum opifex demonstretur.

CAPVT VII.



Atque hoc est aliud genus argumentorum latissimè patens, quo ex mutua naturarum ope vniuersum seruari incolume videmus. Qua de re nunc paulò altius repetito principio dicendum est. Sciendum igitur, Epicureos negasse vnam rem alterius gratia existere, à Philosophis verò qui cæteris cordatiores, mundum esse Dei opus confitentur, quæsitum est quid potissimum spectârit Deus in mundi constructione. Cumque haud dubitetur, quin proprium negotium non egerit ex se beatissimus, cui nam alij tantam molem est machinatus? Hîc Stoici magno consensu respódent hominis causa mũdum à Deo effectum esse, idque præeunte sacra scriptûra Christiani doctores sequuntur. Verùm etsi omnes hi tacerent, ipsa tamen rei euidentia maior est, quam vt quenquam sani iudicij hominem latere posit; vt mihi, qui id negant similimi videantur ei, qui ciuitatem quam incolit, vidẽs optimis legibus institutam, mœnibus cinctam, turribus & propugnaculis

Arist. pol. εἰ ἡ φύσις μηθὲν ποιεῖ μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα πάντα πεποιηκέναι αὐτήν.

Sol᾽ negat Cardanus.

munitam, foro, curia, templo, alijsq; ad optimum reipub. statum pertinentibus excultam, dubitat num consultò sic instituta sit, vel num cuiusquam præter hominem causa sit eum in modum fabrefacta. Nam vt neque homines humaniter viuere possent, nisi ciuitatem ijs, quas enumeraui rebus, instructam inhabitarent, neque earum rerum vllus est vsus, nisi ad quem ab hominibus accommodátur: ita neque viuere omnino póssent homines, nisi mũdum incolerent, ex ijs quibus constare cernitur partibus, coagmẽtatum: nec corporum mundanorum vlla vtilitas esset, nisi in hominum tutela & conseruatione eorum vsus enitesceret. Ac miror si quisquam mortalium tam sit rerum humanarum rudis, vt quotidianis experimentis admonitus nondum potuerit discere, quam multa ei mũdus suæ egestatis solatia subministret. Magis mirarer, si non ignarus quanta bonorum copia ad vitam tuendam & conseruãdam circumfluat, nondum potuit eorum fontem & largitorem agnoscere. Itaque vti Solon existimans parricidium grauius esse crimen, quam vt in hominẽ cadat, nullas in eius criminis reos pœnas decreuit, sic ego non arbitratus quemquam tam esse impium, vt beneficiorum diuinorum magnitudine ad ipsum benefactorem agnos-

agnoſcendum non extimularetur, haud neceſſarium duxiſſem ex omnium mundi partium in hominis incolumitatem conſpiratione, ipſum in creatoris & altoris ſui notitiam adducere, niſi compertum eſſet tantam eſſe quorũdam hominum væcordiam, vt animo pluſquam parricidali eum, à quo ipſis naſcendi primordia, & quicquid aliud boni poſsident, nolint agnoſcere. Conſidera igitur, ô ingrate homo, quæ eſſet vita tua, quiúe rerum tuarum ſtatus, ſi bruta animalia è mũdo ſublata eſſent. Quis oneri, cui ferẽdo non eſſes, ceruicem ſubmitteret? quis te in itinere quieſcentem & otio perfruentem vel dorſo exciperet, aut vehiculo inſidientem breuiſsimo tempore ad remotiſsima loca tranſueheret? Quis agros tuos aratro ſubuerſos ad ſementem capiendam adaptaret, ſi nec equi, nec boues vlli in rerum natura exiſterent? Reſpice corpus tuum ex ſe nudum & non ſolum ad tegendã turpitudinem ſuam velamine indigens, verùm etiam ne cœli iniuriæ ſit oportunum. Nonne quicquid ei veſtimentorum circumponitur ex corio boum, vel lana ouium confectum eſt? Quæ ſi núſquam terrarum reperiri poſſent, vel nudo tibi incedendum eſſet, vel ijs vtendum veſtibus, quæ plus oneris quam vſus adferrent. Conſidera menſam illam tu-

Neceſſitas beſtiarum ad hominis conſeruationem.

am, ô Epicuri de grege porce, in qua summam tuæ fœlicitatis repositam arbitraris, & carnes tam assas quàm elixas, oua, butyrum, & quicquid aliud à bestijs profectum in delitijs habes, inde ablatum finge: atque mox Carthusianos multò laxiori victus ratione nunc vti deprehendes, quàm tu his è medio sublatis vsurus esses. Quod si deinde ad stirpes & terræ nascentia cætera te conuertas, neq; ibi deerit vnde intelligas, tuæ saluti totam rerum vniuersitatem seruire. Hîc enim panem, qui est naturale omnium ciborum, quos obsonia vocamus, fundamentum, & cuius inuentio ob insignem rei vtilitatem Cereri & Triptolemo apud Græcos diuinitatis famam conciliauit, reperturus es. Hîc ignis quo rigorem hibernum temperamus, cibos coquimus, artem fabrilem exercemus, materia: hîc morborum remedia occurrẽt, quarũ ope innumeri mortales ab immatura & nonnunquam plena cruciatibus morte liberãtur. Fui aliquãdo & ego in ipso iuuentæ flore sic affectus, vt mihi pereundum fuerit, nisi καχεξίαν qua tunc laborabam, pæonijs herbis medici discusissent. Et quis est qui non idem de se testari poterit, si anteacta vitæ suæ tempora ad memoriam reuocet? Atque vt rem in pauca conferam, si quicquid ex se terra fundit sublatum cogites, vix scio an vl-

Stirpium necessitas.

an vllũ terrestre animal in viuis remaneret; quãdoquidẽ illa vel herbis victitãt, vel herbis viuẽtiũ carnibus vescũtur. Bestijs verò & stirpibus deletis, Epicurei cum toto genere humano breui tempore πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοιν[illegible]. Iam verò lapides & metalla an ne parum tibi subsidij hominibus ad vitam tolerandam conferre videntur? Non opinor id quenquam dicturum, qui ollas, cultros, scutellas, & omnem aliam domesticam supellectilem metallica materia constare, nec vllum opificium, quantumlibet vitæ necessarium, sine ferro & chalybe exerceri posse considerat. Nec ideo hoc beneficium cuiquam minus amplum videri debet, quòd tantis laboribus, periculis, & molestijs metalla ex fodinis eruantur: nam quibus ægerrimè homines carere possunt, ea nec tam rara, nec tam inuentu difficilia sunt: cætera verò quæ potiùs ad luxum quàm necessitatem expetuntur, in imis terræ visceribus deprimi, & non sine herculeis laboribus in lucem pferri posse conueniebat. Adde his elementa, sine quibus hominem non posse diu superstitem esse, tam est vulgatum, vt, cum nos re quapiam summopere indigemus, dicere soliti simus, nos facilius igne, aqua, & aëre, quàm re illa carere posse. Quid etiam aliud sibi vult illud Latinorum, igni & aqua

Metallorũ & lapidum quàm sint indigi homines.

interdicere, nisi tam esse necessarium hominibus illorum elementorũ vsum, vt nulla re significantius exprimi posſit, velle nos quenquam de medio ſublatum, quam illorum elementorum ipſi vſum interdicendo. Adde cœlum & ſolem cum vniuerſo ſtellarũ choro, quorum fotu destituti, ne ad horam quidem huius vitæ vſuram retinere posſemus, quorũ periodis anni tempora numeramus, quorũ luce ſi non irradiaretur hic noſtrę habitationis locus, in morem Cimmeriorum, ſupra quos, Homero teſte, ſem per νὺξ ὀλοὴ τέτα-ται, in ꝑpetuis tenebris degerem9; tãto cæcis miſeriores, quanto moleſtius eſt oculorum ſenſu integrò vti nõ poſſe, quam in totũ viſu carere. Et quis poſſet verbis cõſequi quantũ oblectationis & vtilitatis ille mũdi oculus, ille φερέσβιος, ille φυσίζωος, & quibus nõ epithetis dignus Sol, afferat humano generi? Quæ cum ita ſint, intolerabilis ꝓfectò eſt eorum cæcitas, quos totũ hoc vniuerſum tam benignè fouẽs, non poteſt ad eius amorem & cultũ incitare, q hanc cęteris reb9 legem poſuit, vt hominis incolumitati ꝓ ſua virili cõſulant. Ethnici in cœlũ attollentes oculos & ad beneficia, quibus à ſole cumulabantur animum aduertentes, rurſumque à ſole ad alias mundi partes conuerſi, cum vbique diuinæ bonitatis documẽtis eorum oculi ferirentur;

rentur; non fuere tam ſtupidi, quin intelligerent totum hoc vniuerſum iuuandis ac ſeruandis hominibus intentum eſſe. Verùm in eo peccârunt, quod non conſiderãtes neceſsitati parere ſolem, & cæteras ſtellas legem ſemel præſcriptam perpetuò exequi, miniſtros pro domino amplexi ſunt, ac ſeruierunt potiùs creaturæ quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Auctor eſt Petrus Martyr Anglerius, patrum noſtrorum ętate in occidentali India repertos, qui cum nullum numen agnoſcerent, ac animas vna cum corporibus interire putarent, ſolem tamen, qui ipſis iuccam (radicis hoc genus) & maizium ex bonitate ſua præſtaret, ſibi colendum ducerent. At Epicurei in meridie palpantes, non ſolum parentem & auctorem ſuum ex beneficijs, quibus in ſingulos dies afficiũtur, nõ agnoſcunt, ſed neque beneficium eſſe, quod ipſis tam profuſa largitate ſuppeditatur, intelligũt, caſu ſe natos caſu quoque vnde alantur, & conſeruentur reperire arbitrati. Facilè quiuis animaduertit, qualem palæſtram hîc declamator quiſpiam haberet: verùm quia me inſtituti mei ratio non ſinit in vna re diu immorari, idcirco ad alia progrediar, vnde perſpicitur, totam rerum vniuerſitatem ad hominis vſum ſe accommodare. Primum igitur non παρέργως

Libr. 2. Decadis 3.

contem-

contemplandum, quod rei cuiusque vbertas & inopia, durabilitas & ei contraria imbecillitas, ita se habeant, vt maximè rebus hmanis conducturum erat. Oleum non fert ætatem, sed si vltra annum seruetur, rancorem contrahit; rem enim quo pauperes iuxta ac diuites carere non possunt, non nimis pretiosam esse oportebat, pretij verò vilitatem necessariò efficit, quod nō posit diu sine corruptela seruari. Quia verò non tanta necessitas erat vini cum pauperibus communicandi, ideò prouidentia quadam singulari non solum durabiliorem naturam illud sortitum est, verumetiam in aliquot annos seruatum generosius fit, ac mirabili modo sua ipsum caries magis commendabile reddit. Quicquid ad vitam tuendam necessarium est, paratu facile, & cunctis obuium esse conspicitur, nec adeò tenerum & corruptelis obnoxium, atque illa, quæ non tam necessitatis, quàm voluptatis gratia ab hominibus expetuntur. Fructus arborum mansuetiorum non rarò contingit per intempestiuum veris frigus in ipso flore corrumpi; vnde factum est, vt morus sit arbor sapiens à veteribus dicta, quia tunc florere incipit, cum nullum à gelu periculum ipsius floribus imminet. In septentrionalibus verò locis, nulla arbor fructifera inuenitur, quod vernum frigus &

Hæc est Plinij obseruatio.

[illegible] de [illegible]a.

gus, & boreales venti illic vehementiores sint, quàm vt à teneris earum arborum floribus perferri queant. Attamen viuitur adhuc in illis regionibus, & quidem sat commodè. Fruges verò in quarum felici prouentu spes mortalium inclinata recumbit, multò rarius cœli iniuria læduntur, ac in horrida septẽtrionis plaga tam diuiti vbertate nascuntur, vt inde in alias clementiori cœlo subiectas regiones transuehantur. Adde, quod vbicunque locorum alicuius rei ad vitam necessariæ inopia laboratur, ibi aliud quippiam quod eius vicem suppleat, inueniatur. In Aegypto vbi raræ pluuiæ, Nilus ripas aluei supergressus, id quod à cœlo regioni isti negatum est, etiam abundè sua rigatione pensat. In locis mediterraneis, vbi salis factitij materia deest, fodinæ salis à natura confecti reperiuntur, ne vlla terræ pars condimento ciborum tam necessariò destituatur. In Noruegia & Suetia, vbi perpetuò penè gelu omnia rigent, non solum quercus, pinus, abietes, & id genus aliæ arbores, tanta copia, quanta vix vsquam alibi proueniunt, verum etiam Marturi, Zebellini, Ceruarij, nigræ & albæ vulpes, quarum pelles ad frigoris asperitatem mitigandam apprimè idoneæ sunt, plures quàm alijs locis visuntur. In Frisia, Hollandia, Taxandria, vbi nullæ aut

Vnius rei defectus alterius copia pensatur.

raræ

raræ ſyluæ inueniuntur, ceſpitis quoddam genus è terra effoditur, quod ad ſolem ſiccatum, tam idoneum fit ignis fomentum, vt lignorum deſiderium facile harum regionum incolæ ferant. M. Paulus Venetus dicit in regno Cathay, quod lignis caret nigros lapides inueniri, qui in ignem miſſi vt ligna ardent. Vbi ob ſerpentum ingentem numerum homines in magno vitæ diſcrimine verſantur, ibi lacertæ humano generi amicæ ſi quādo dormienti in pratis homini ſerpentem inſidiari viderint, faciem eius perreptant vt è ſumno excitetur, & inſidias declinet. Denique quia non terræ ferre omnes omnia poſſunt, nec vlla tam inculta & aſpera regio eſt, quę non ſuis defectibus aliquod πλεονέκτημα queat opponere, idcircò nulla orbis pars habitatoribus caret: ac falluntur veteres terram οἰκουμένην à reliqua diſtinguētes, quaſi aliqua ſit terræ portio ἀοίκητος. Atque hæc ex innumeris pauca attulimus, ad oſtendendum in hominem velut ſcopum totam rerum vniuerſitatem reſpicere: quib' adijcio, & ipſam humanę naturæ conſtructionem teſtari, hominis cauſa totum hunc mundum effectum eſſe. Cùm enim ipſe ſit μικρόκοσμος nomine ab omnibus Philoſophis celebratus, & qua parte nutritur & creſcit cum ſtirpibus conueniat, quatenus verò
ſentit

ſentit cum beſtijs,ſi in ipſo homine liquidò conſtat nutritiuam vim ſentientis facultatis miniſtram eſſe, hanc autem rationis ſeruitio mancipatam, efficitur profectò & ſtirpes brutorum cauſa; bruta verò hominum, inſtituta eſſe.

Animalia inimica inuicem.

Porrò quemadmodum ex officijs, quæ à cæteris creaturis homini præſtantur,colligimus ea hominum cauſa effecta eſſe,ita, cum in brutorum genere vnum videamus alterius ſalutem procurare, vel noxam contraria naturæ proprietate temperare, non dubitabimus & illorum vnum alterius gratia conditum aſſerere. Quoniam autem eius, quod diximus, exempla non perinde omnibus ꝑſpecta ſunt,pauca quædam ex Plinij naturali hiſtoria hîc aſſcribemus. Primùm Crocodilo, voraciſsimo & humani ſanguinis ſitientiſsimo animali, ichneumon & delphin oppoſiti ſunt.

Crocodil⁹.

Cùm enim Crocodilus familiarem habeat auiculam trochilum nomine, cuius miniſterio in dentium purgatione vtitur, quando ea auicula ipſi hianti hanc nauat operam, ex ſcabendi dulcedine in ſomnum incidit. Qua oportunitate animaduerſa ichneumon os ipſius ingreditur, ac in imum vſque inteſtinorum immiſſus, aluum erodit, eoque modo hoſtem ſuum enecat.

Ichneumō

Delphin.

Delphin verò cùm fortè obuius ſit crocodilo

dilo, timorem ſimulans magna celeritate ſe aquis immergit, atq; ventrem crocodili qui mollis ac læſioni oportunus eſt ſubiens, ſpina, quam in dorſo inſtar gladij acutam gerit, beſtiam nec opinantem configit. Eſt & cum ſerpentibus ichneumoni bellum, in quod limo à ſole ſiccato contectus prodire ſolet, ac auerſus irritos ictus cauda excipere, donec obliquo capite ſpeculatus, fauces ſerpentis inuadat. Locuſtarum agmina comitari à

Seleucis. tergo ſolet auicula quædam Seleucis dicta, quæ velut ἀλεξητήριον contra tam pernicioſas beſtias prouiſa diuinitus, inſatiabili eas voracitate conſumit. Ac ne vlla ſuperſit dubitandi ratio, an ad locuſtarum noxam mitigandam Seleucis deſtinata ſit, tradunt naturalis hiſtoriæ ſcriptores, nunquam hanc auiculam conſpici, niſi quando locuſtarum nubes agricolarum laboribus imminent. Ha-

Baſiliſcus. bet & Baſiliſcus qui ſe interimat muſtelam, alioqui peſtifera virulentia quicquid occurrit internecioni dedens. Ita fit, vt nulli malo ſuum deſit remedium, ne imbecilliora animalia à fortioribus, & in perniciem cæterorum natis, funditus extirpentur. Sunt etiam quædam mirabiles nõnullorum animalium amicitiæ, & in ſalute tuẽda mutua obſequia,

Animaliũ amicitiæ. ex quibus facile perſpicitur, ea inter ſe non caſu coniuncta eſſe, ſed vnum propter alterum

rum à consultissimo opifice institutum.
Aquilæ cum tædio nutriendi pullos suos, vnum è nido eijciant, ossifragæ illum in suam tutelam recipiunt, ac eadem qua proprios fœtus, cura dignantur. Pinna & Squilla communiter cibum quærunt. Pinna enim duabus patula conchis, pisciculos expectat, qui vbi in concham hiantem innatauerint, admonita à squilla, morsu comprimit conchas: prædam verò hoc modo captam, inter se partiuntur. Quando Balæna præ graui superciliorum pondere obrutis oculis videre nequit, musculus piscis infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, oculorumque eius vice fungitur. Eodem modo & in stirpium genere olynthus ficui ad fructuum maturationem non mediocre adiumētum affert. Quocirca dum veris & fructiferis ficubus alligatur, earum imbecillitatē fulcit, ac diffluentē ac dispergi incipiētem fructū, teste Basilio 5. hexaemeri concione, retinet. Ex caprificis verò Plinius auctor est culices oriri, qui fraudati alimento in matre putri eius tabe, ad cognatam ficum euolent, morsuque ficorum crebro, hoc est auidiore pastu, aperientes ora earum, atque ita penetrantes intus, solem primo secum adducant, cerealesque auras immittant foribus apertis. Indeq; ait idem re-

Ossifragæ.

Balæna & Musculus.

Olynthus seu grossi.

Caprificus.

pertum esse, vt allatæ aliunde & inter se colligatæ inijcerentur fico. Palmæ in mares & fœminas distinctæ sunt, ac videas aliquando eam quæ fœmina dicitur, ramis demissis velut complexum maris captare. Quo tempore hortulani ramis eius quiddam semini simile inijciunt, fructum videlicet masculæ palmæ, quem Græci ψῆνα appellant: quod simulatque sensit, iterum ramos erigit, comamque suam priori formæ restituit. Deniq; quis tam cæcus est, vt animalium plerorumque in diuersos sexus distinctionem neget generationis causa factam esse, cùm id neque Aristoteles, de quo nonnulli dubitant, num mundum habere causam efficientem statuerit inficiatus sit? προωκονόμηται inquit. ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις, τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Id est, prouisa est à Deo vtriusque, viri, inquam, & fœminæ natura, ad coniunctionem. Hæc non sunt ænigmata, sed plana Aristotelis summi philosophi verba, quibus manifeste indicat sexuum originem Deo tribuendam esse. Sed neque illud otiosè contemplandum, quod marina animãtia formis & nominibus quasi altera ex parte terrenis respondeant, quodque suos vitulos, porcos, lepores etiam liquidum aquarum elementum contineat, adeo vt neque leones in oceano desiderentur. Refert

Palmæ aliæ mares aliæ fœminæ.

Primo œconomicorũ.

fert enim Sabellicus Martini quarti pontificatu visum in Italia leonem marinum, adijciens, vulgò credi, nihil nasci in aliqua naturæ parte, quod non idem & in mari cernere sit. Vnde intelligitur eum qui terrena animantia fecerat, voluisse eorum figurás in marinis quadam iucundissima imitatione repræsentare.

Quod rerum naturæ non solum ordinem inter se, verumetiam ad totum vniuersum habeant, atque ex eo probentur à Deo effecta.

CAPVT VIII.

CONsiderandum deinceps, quòd rerum naturæ inter se collatæ conueniunt ad vnius vniuersi absolutissimi & præstantissimi constitutionem, nec ideò solum τὸ πᾶν à Græcis hunc mundum dici, à Latinis verò rerum vniuersitatem, quia nulla extra ipsum natura reperitur, verumetiam multò magis quia nulla ei natura ad summam absolutionem necessaria deest. Intelligamus igitur oportet, illam multitudinem esse perfectam, in qua extrema per medium aliquod inter se coniungũtur, hiatu verò deformem, quæ extremis constat nullo medio interiecto copulatis, mutilam, cui alterum deficit extremorum. Iam verò si mundum hunc animo perlustremus, ta- Exẽpla cõtrariorum metsi quæ ꝑme-

dium constantur: metsi ex contrarijs,& bis per omnia dissidentibus naturis compositus sit, ipsum nihilominus mediorum interpositu arctissimo societatis vinculo cohærere perspiciemus. Sunt enim in vniuerso æterna quædam & immutabilia corpora, solius localis mot⁹ capacia: sunt ediuersò quæ nunquam in eodem statu permanent, qualitates alias alijs perpetuò commutātes. Sunt etiam quę medium inter hæc locum tenent,& ex vna parte ad immutabilitatem cœlestium corporum accedunt, rursumque ex altera parte inferiorum naturarum mutabilitatem imitantur, vt lunæ globus. Hîc enim varietatem ita habet cum terrenis rebus communem, vt & statas in eo vices more cœlestium corporum seruet. Nunquam enim visum est, quòd non menstruò interuallo easdem mutationes eodem ordine subeat. Habet mundus quædam prorsus simplicia corpora, habet ex quatuor elementis ad temperiem redactis mista, habet quæ sunt medij generis imperfectè mista, quæ vulgò meteóra vocantur. Habet viuentia & inanima,& interiecta inter hæc media quædam corpora, ceu sunt magnes, succinum,& quæcunque præter hæc res dissitas ad se rapientia, vim animę simillimam præ se ferunt. Eodem modo inter sentiētem & sensus omnino expertem

tem naturam plantanimantia intercedunt, quæ in eo plantas imitantur, quòd certo loco hęrēt fibris quibusdam, velut radicibus, defixæ, cum animalibus verò vim sentiendi communem habent, cuius generis sunt spongiæ & conchæ. Inter intelligentem & prorsus à ratione desertam naturam medio loco homines consistunt, qui secundum vires corporeas nihil à brutis differunt, intelligentia verò ad spiritus quàm proximè accedunt. Latissimè hæc res patet per omnes rerum gradus & ordines, vt nimis longum foret, omnia genera contrariorum interuētu alicuius medij sibi mutuo attemperatorū, cōmemorare. Nam & elementorū extremorum, interq; se pugnātium medium vinculū est aliud elementum, quod cum vtroque extremorum aliquid commune habet. In rerum quoque singularum contrarijs proprietatibus idem obseruatum esse cernimus, vsque adeo, vt neque inter animātia terrestria & aquatilia desint ἀμφίβια, quæ vicissim in vtroque elemento degant. Atque hac tam perpetua extremorum & mediorum copulatione fretus Aristoteles, tanquam axioma quoddam libro secundo de cœlo statuit, si Cap.3. vnum contrariorum sit in rerum natura, & alterum existere, perinde atque si tot in rebus iste ordo seruatus, sponderet deinceps

nunquam futurum, vt vel medium sit sine extremis, vel extrema sine medio, vel vnú extremum sine altero. Iam verò quis non videt hinc consequi, vnum esse omnium naturarum parentem, nec potuisse tam diuersas res ita inter se compositas esse, vt tam mirabili concordia in vnius vniuersi absolutissimam perfectionem conspirent, nisi vnius optimi & sapientissimi consilio & nutu institutæ essent. Quin & idem ordo rerum postulat, vt, quemadmodum in rerum natura aliquid existit, quod est effectus tantum, aliquid ꝙ simul causa & effectus, ita sit aliud quod tantum causa existat, Deus nimirum primus omnium rerum auctor, ipse à nullo sui ortus principium ducens. Est alius naturarum, ex quibus mundus componitur, ordo, non mediocriter id quod nunc agitur illustrans. Sciendum igitur, genera rerum perpetua quadam serie instar cathenæ connecti, & quemadmodum numeri ab vnitate progredientes, vnius ad præcedentem adiectione multiplicantur, ita naturas rerum dispositas esse, vt semper vnius differentiæ ad priorem additione proxima species constituatur. Substantia corpora primum gradum obtinet inter res aspectabiles, sub se comprehendens simplicia corpora cum nonnullis mistis. Huic si accedat viuere, alia exurget

Species rerum ordinē habent, qualem numeri.

natura

natura, vna differétia priorem superãs, stirpium videlicet ac arborũ. Cui deinde si sentiédi vi præditum esse adijcias, rursum tibi aliud rerum genus cõficietur, quo animãtia ratione carentia continētur. Omnibus autem his si ratio copuletur, humana species consurget, quę est in summo pfectionis fastigio, inter omnes visibilis mũdi partes constituta. Hic tam egregius ordo specierum, nusquam interruptus, cum auctore non careat, ne res tam præclara in casus temeritatem conferatur, necesse est mundum qui his naturjs tanquam partibus cõstat, ab eodem auctore códitum esse. Nam ordo is, prorsus inseparabilis est à rebus, vtpote naturalem vnius supra aliam perfectionem consequens.

Superest tertius ordo, causarũ & effectuum scilicet, non obscurũ creati à Deo mundi documētum. Considerandũ igitur ad cuiusq; rei generationẽ multas causas ordine quodam essentiali inter se cohęrẽtes, conuenire. Est enim vulgatissimum illud Aristotelis dictum, homo generat hominẽ & Sol. Hic autẽ ordo si ἄναρχος est, sequitur quicquid inde fit, casui assignãdum esse: itaq; nõ solũ muscæ & vespæ, verùm & hominis natiuitas casui accepta ferri debet. Si enim, vt pręclarè D. Thomas animaduertit, ipsa rerum principia casu ad earum effectionẽ conueniũt, non

Ordo causarum testatur mundũ à Deo conditum.

poteſt nō & effectus caſualis eſſe. Ac ne quis putet hunc cauſarum contextum non admodum longum eſſe, vt nō mirum ſit, eum caſu conſtitutum, primum in eo locum habēt proximæ cauſæ, in pleriſque geminæ, pater & mater videlicet. Supra has ſidera, ſideribus verò ſuperiores ſunt, quas ſuo loco cœli motrices eſſe docebimus, intelligentiæ. An autem ſiderum vnum ſit alio in agendo ſuperius, quia certum non habeo, affirmare nō auſim. Id tamen haud dubium eſt, vnumquodque ad inferioris mundi conſeruationem aliquid operæ conferre. Luna humorum dominium obtinet, Sol caloris promus condus exiſtit, alij Planetæ alias qualitates in materia conſeruant. Atque eo modo fit, vt iuxta illud Sirachi, contra bonum malum, contra vitam mors, vnum contra vnū, duo contra duo opponantur. Ne, ſi vna qualitas nimium inualeſceret, cæteris interemptis, ornatus ille mundi, qui ex diuerſarum cauſarum & euentuum conflictu naſcitur, periret. Nonne ſi vnus Sol materiam ſuo ardore laceſſeret, tandem iuxta Heracliti præſagium, totum inferiorem mundum ignis depaſceretur? Nonne ſi Luna ſola rerum potiretur, breui tempore cuncta nimio humore ſoluta diffluerent? Nonne cæterarum ſtellarum pro cuiuſque virtute eadem ratio eſſet?

Eccleſ. 33.

ſet? Maximus igitur eſt numerus cauſarum, à quibus rerum ortus & genituræ dependent, quorum tam firmum & neceſſarium ordinem ſine vllius opificis prouidentia inter ſe conueniſſe, nemo niſi amens dicturus eſt. Si cauſam habet is ordo, eadem & naturarum cauſa erit. Nam non aduentitia aliqua affectione, ſed per naturam ſuam cauſa eſt vnumquodque. Exequuti nunc ſumus tria argumentorum capita, quæ initio propoſita fuerunt. Eſt autem ſumma omnium ſupradictorum, vel caſu factum eſſe, vt omnes mundi partes congruis accidentibus exornatæ ſint, vtque vniuerſum eo modo ſe habeat, vt ſit humani generis aptiſsimum domicilium, ac denique vt corporum mundanorum is ordo cernatur, qui vniuerſum longè pulcherrimum conſtituit: id quod in tanta multitudine rerum, quæ ſumma ratione conſtãt, non eſt poſsibile: vel conſilio ſapientis architecti omnia, vt par erat, digeſta eſſe. Fieri enim non poteſt, vt quæ manifeſtè ſe produnt certo fine & ratione ſic & non aliter ſe habere, non ab efficiente aliquo finem illum ſibi præſtituente originem ducant. Ac contemnenda potius eſt, quàm refutatione dignanda illa quorundam ſtropha, qua dicunt ſe finem in naturis rerum agnoſcere, efficientem verò cauſam non i-

Quæcuq; finem habent, ea & efficiẽtem habere neceſſe.

tem, quaſi vero non finis ſit id, cuius gratia aliquid ſit. Porrò quòd nonnulli, vt euitent Epicurei dogmatis abſurditatem, medium quid inter caſum & conſilium confinxere, id nimirum quod eſt ex naturá rei, neque id magnam habet difficultatem. Si enim nihil eſt fortuitum, quod quoquo modo ad naturam reuocari poteſt, iam & Epicuri cauſa in tuto erit. Nam & ipſe ponit corpuſcula illa inſecabilia ſuopte nutu ac naturali pondere rectis lineis per infinitum inane deferri, atque earum inter ſe cohæſione omnia naſci. Itaque ſi hoc ſufficit ad caſum effugiendum, nõ eſt quòd deinceps hoc nomine quiſquam Epicuro negotium faceſſat, veluti qui mundi tam viſendam pulchritudinem caſui tribuerit. Imò ſcire debebant hi homines, nuſquam poſſe caſum reperiri, niſi in operibus vel naturæ vel rationis; vt iam negligatur illa ſcrupuloſa caſus & fortunæ diſtinctio, prius enim aliquid de induſtria peti neceſſe eſt, antequam aliquid non petitum per accidens eueniat. Lapis in aërem excuſſus, verbi cauſa, poſtquam vis à proijciente euanuit, naturali ſuo pondere ima petit: hic nihil adhuc temeritatis. Idem terræ propinquus hominem qui curriculo ad forum negotiorum ſuorum cauſa tendebat offendit, ac grauiter vulnerat: hoc iam caſui tribuendum.


Non

Non enim per se ad naturalem lapidis propensionem consequens est, hominem prætereuntem vulnerare: nec per se accessum ad forum comitatur lapidis in caput ruina. Quid autem horum non eodem modo se habet in mundo, si non is ab vno conditore singulari sapientia prædito fabricatus est? Nóne cœlum hoc habet à natura sua vt cœlum sit & nihil præterea? Nonne elementorum & animantium eadem ratio? Vt autem ex his naturis tam absoluta rerum vniuersitas cósurgat, vel factum est, quia ex suis quęq; principijs nata, eo ordine, ea magnitudine, ea multitudine fortè coniunguntur, vt ex ijs per accidens mirabilis huius mundi decor & venustas resultet, & proculdubio fortuitum erit quicquid admiratione dignum in illo conspicitur: vel quia prouidentissimus quidam architectus ex innumeris rebus illas delegit, quæ ad vniuersi absolutionem requirebantur, atque in eum ordinem digessit, qui maximè congruebat, & euicimus mundum ab opifice Deo conditum esse.

Idem posse multis ex prima Philosophia petitis rationibus probari.

CAPVT IX.

Hacte-


ACTenus ijs rationibus rem geſsimus, quarum robur & pondus etiam minimè in Philoſophicis λεπτολογίαις exercitati perſpiciunt: nunc verò in gratiam eorum, qui altiores primæ philoſophię ſpeculationes deguſtarunt, paulò ſubtilius idem probaturi ſumus. Eſt igitur primum argumẽtum metaphyſicum, ex natura entis eiuſmodi. Eſſe vel eſſentia cuiuſque rei, (pro eodem enim vtrunque accipimus) intelligi poteſt, vel vt ab alio pendens tanquam origine ſua, vel vt ſibi ipſi cauſa exiſtens. Ens hoc poſterius adeò perfectum eſſe neceſſe eſt, vt nihil ei perfectionis poſsit accedere, eo quòd ſit αὐλουσία ſeu ipſum eſſe. Videmus enim tanto rem quamque perfectiorem eſſe, quanto plus habet firmitatis ad ſubſiſtendum ſine alterius adminiculo; perfectius eſſe, vt exemplo res fiat dilucidior, ſolis candorem, quam ſit lumen quòd in aëre idem Sol accendit, quòd ille ſit permanens qualitas, hoc continuo lucis affluxu indigeat. Si igitur ea corpora, ex quibus mundus cõponitur, eſſent omnino incauſata, ſingula in ſummo perfectionis faſtigio collocata eſſent. Hoc autem non ita eſt. Nam præterquam quod perfectionis in ijs ordo manifeſtiſsimè deprehenditur, vno longè infra aliud conſiſtente, ſingula per ſe conſiderata

Argumen'. 1. ex natura entis.

derata

derata, multis defectibus obnoxia sunt; vt verissimè à D. Paulo dictum sit, creaturam vanitati subiacere. Cœlum quod ꝓpter insignem durabilitatem multis suæ incausalitatis, vt ita dicam, suspicionem ingessit, in motu ab alieno pendet arbitrio, ipsum se loco mouere non valens, imo omni sui ipsius cognitione, instar saxi aut trunci, destitutum.

Præterea esse ipsum antequam in partes & gradus discerptum cogitatur, ἀπολύτως & sine vlla restrictione concipitur, velus abyssus quædam immensa, quicquid in rebus aspectabilibus ꝑ partes comprehēditur, & adhuc amplius, simul complectens; quomodo humana essentia vna existens simul omnem perfectionem brutorum & stirpium continet. Quî autem fieri potest, vt quod per se est, non aliunde suam essentiam participans, huius immensi abyssi tam exiguam particulam possideat? Particulam dico, quia reuerà omne esse per differentias ad certum genus contractum, portio quædam exigua illius, quod absolutè concipitur, existit. Vnde ergo ei certus & determinatus essentiæ gradus, quod efficiente qui certos ei perfectionis limites præfinierit, caret? Adhęc quicquid multis ordine quodam ita conuenit, vt in vno perfectius, in altero imperfectius reperia- II.

III.

periatur, id vni alicui perfectissimè competit, quòd cæterorum causa sit. Esse autem rebus diuersis ordine conuenit; perfectissimè quidem formis à materia abstractis, inferiori gradu corporibus, adhuc inferiori accidentibus, & in his quantitati minus perfectè quàm qualitati, denique omnium tenuissimè in materia inuenitur. Est igitur ens aliquod perfectissimum, cæteris, in suo cuique perfectionis gradu, causam subsistendi præbens. Hæc est enim analogiæ natura, vt res ei subiectæ ad vnum aliquod perfectissimum referãtur, cuius participantes aliquousque naturam & nomen commune accipiant. Colores omnes lumen tanquam perfectissimum in genere visibilium respiciunt, vt quod vim illis aspectum mouendi impertit, perfectius albedini, & quanto quisque color ad albedinem propius accedit: minus perfectè nigredini, & coloribus subnigricantibus.

IIII. ratio ex natura vnius.

Adhæc prior natura est vnitas multitudine & diuisione, simplicitas compositione; non enim ex multitudine vnitas, sed ex vnitate multitudo sumit originem. Necesse est igitur, multitudinem naturarum, ex quibus mundus coagmentatus est, ab vno simplici principio, Deo videlicet optimo Max emanasse. Dices fortè inter naturas mundi esse

analogiæ & ordinis vnitatem, quæ efficiat vt multitudo entium ab vnitate proficiſci videatur. Sed talis vnitas eſt multitudine poſterior, quemadmodum & vnitas qua vnaquæque ſpecies numerorum vna eſt, vera monade poſterior exiſtit, & non niſi in mentis apprehenſione poſita eſt, perinde atque generis & ſpeciei vnitas. Cùm autem vera monas ſit naturæ ordine prior quauis multitudine, efficitur, vt antequam res in analogiæ & ordinis vnitatem minimè ſinceram diſperguntur, verè & reipſa in vno aliquo totius iſtius multitudinis perfectiſsimo coniunctæ fuerint.

Præterea ex veri natura ſic argumentari licet. Apud ſapientes pro indubitato habetur, verùm & ens inter ſe viciſsim retro commeare. Atqui verum duobus modis dicitur. vno modo, æqualitas & ſymmetria intellectus ad id quod intelligitur. Sed veritas eo modo accepta nō inuenitur, niſi in propoſitionibus. Vt igitur vox hæc tam latè pateat, quàm entis appellatio, dicitur ſecundo veritas, rei effectæ ad ideam quam artifex in mente gerit adæquatio. Quare cum vnicuique ſimplici naturæ ſuam tribuo veritatem, ſignifico ipſam ideæ ſui artificis ad amuſsim reſpondere, & proinde cauſam efficientem habere.

V. ratio ex natura veri

Præ-

VI. ex natura boni. Præterea nemo dubitat, aliquod eſſe partium vniuerſi bonum. Id enim qui negaret, neque mali & perturbationis ipſum capax eſſe diceret: quandoquidem malum eſt boni quod inerat corruptio. Quod ſi igitur eſt aliquod rerum, quę mundo continentur bonum, quærẽdum reſtat, num illud ſit intraneum, an extraneũ. Et haud dubium, quin reſponderi debeat, bonum cuiuſque partis mundi quodammodo extraneum, & rurſum alio modo intraneum eſſe: quemadmodum exercitus bonum partim inhærens, partim extraneum eſt: inhærens, ipſa eius εὐταξία: extraneum, is quem velut finem exercitus reſpicit, imperator. Eodem modo, cuiuſque naturæ intraneum bonum eſt inhærens ipſi perfectio: extraneum verò, totius vniuerſi optimus ſtatus, quem ſingulæ naturæ velut ſcopum intuentur. Atqui fieri non poteſt, vt, quod à ſeipſo exiſtit, bonitatem aliunde velut precario poſsideat. Cùm enim eſſe, & bonum, conuerſim de ſe mutuo dicantur, id quod à ſeipſo οὐσίαν nanciſcitur, proculdubiò & omnia ſua in ſe repoſita habet, à nullo extraneo dependens. Quis enim vel vnciam habens ſani iudicij, rem αὐτοούσιον ſuæ bonitatis rationes aliunde ſuſpenſas habere dicat? Sed perſequamur cætera id genus argumenta.

Si naturæ, quibus constat mundus, essent à seipsis natæ, nihil in eis potentiæ inesset, sed puræ ἐνέργειαι existerent. Omnis enim potentia passiua, de qua nunc loquimur, ex essentiæ imbecillitate proficiscitur, sicut è contrariò agendi facultas ex eius perfectione & firmitate ducit originem. Quæ igitur agendi, patiendique potestatem nacta sunt, media inter esse & non esse nutant, & quatenus existunt, ἐνεργητικὴν δύναμιν possident: quatenus verò in non esse propendent, mutationi obnoxia sunt. Aut enim potentia illa ἀλλοίωσιν τελειωτικὴν id est, alterationem perfectiuam respicit: & proculdubio quatenus adhuc perfici desiderant, eatenus non existunt quodammodo. Aut φθαρτικὴν μεταβολὴν id est, corruptiuam mutationem eorum potentia spectat; & rursum qua ex parte aliquid ipsis perfectionis auferri potest, eatenus caduca, & in interitum prona existimari debet. At verò quæ à seipsis sunt, ea nihil habent cum non esse commune, sed quicquid sunt, essentia sunt: quæ autem ex nihilo prodierunt, ea semper quandam ad suam originem similitudinem & propensionem retinent, & ideò multa ipsis ad summam perfectionem desunt, & quam adepta sunt integritatem, eam possunt amittere. Cùm igitur omnia quæ sub aspectum ca- VII. exa. ctu & potentia.

dunt mutabilia sint ἀεὶ στρεφόμενα καὶ στρεφόμενα, vt Nazianzenus ait, & actum potentiæ admixtum habeant, ex nihilo profectò in esse prodierunt.

VIII. ratio ex possibili & necessario. Idem ex possibili & necessario sic demóstratur. Nullum huius mundi corpus est necessarium, sed omnia non esse possunt. Atqui quocunque possibili semper aliquod necessarium prius esse oportet, à quo nascendi primordium sumat. Si enim omnia sint non necessaria, ponantur ergo non existere, & sequetur nihil esse. Cùm verò impossibile sit omnibus abolitis quicquam fieri, eo quod nihil sine causa nasci queat, efficitur vt posito nihil esse necessarium, inferri posit, neque quicquam esse possibile. Porrò nullam huius mundi partem necessariam esse, quia non omnibus persuasum est, sic demonstratur. Omnia quæ in mundo cernuntur, corpora sunt: corpus verò vnumquodque ex materia & forma componitur, ex quibus nec materia necessaria est; habet enim suam subsistentiam à forma. Nec forma necessitatem existendi habet, quia suam subsistentiam à materia mutuatur. Etsi verò hominis anima non subsistat per materiam; id tamen nihil officit nostræ demonstrationis robori, eò quod certum sit illam non esse necessariam, imo nec corpore antiquiorem.

Infero

Infero igitur ex his, neque compoſitum vllum abſolutè neceſſarium eſſe. Abſoluta enim neceſsitas à nullo dependet. Inſuper omne compoſitum ſolubile eſt in eas partes, ex quibus componitur. Nec refert, non eſſe vllum agens tam robuſtum in natura rerum, quod cœlum queat diſſoluere: verùm ſufficit non eſſe abſurdum & ἀσύςατον tale aliquod fingere. Hinc enim rectè colligemus, cœlũ, ſi ipſius natura ſpectetur in ſuas partes diuelli, & eo modo interimi poſſe. Atqui omni tali prius aliquod abſolutè neceſſarium ſit oportet, vt euincit ſuperior demonſtratio.


Præſuppono deinde, cuiuſque rei, quæ non eſt ex natura ſua, & per ſe talis, qualis eſſe dicitur, cauſam cur eiuſmodi ſit reddi poſſe. Quicquid enim eſt hoc aut illud, vel per ſe & ex natura ſua id ei conuenit, vel aliunde. Sed mundus habet certam & finitam quantitatem, certum modum perfectionis, certum numerum ſpecierum. Veterum enim de mundi infinitate ſententia iampridem exploſa eſt. Vnus quoque ab omnibus rectè ſentientibus creditur. Atqui ex natura ſua non competit ei hæc potius quantitas, quàm maior aut minor. Nec naturæ ipſius repugnaret, eſſe paulò maiorem, aut vna vel altera ſpecie locupletiorem. Plures quoque

Ratio IX. ex finito & infinito.

mundos per eorum naturam esse non posse, non tam firmis rationibus probat Aristoteles, quàm vulgò creditur. Sed vt hoc omittamus, id certè constat & à Geometris supponitur, quauis certa magnitudine maiorem dari posse Omnis igitur certa & definita magnitudo, vel est ab externo opifice certam mensuram suo operi præfiniente, vel si determinatore caret, certa esse non potest, ac proinde infinita erit. Eadem ratio ad perfectionem certis cancellis circumscriptam, & numerum specierum determinatum accommodari potest. Sed ne modum in accumulandis eiusmodi epicherematibus excedamus, ad quarundam obiectionum repulsionem nunc transeundum.

Solutio argumentorum, ex quibus contrarium effici videtur.

CAPVT. X.



QVANQVAM obiectiones, quæ mundi creationi obstare videntur, à multis eruditis viris dissolutæ sint, in gratiam tamen eorum, quibus varios auctores eadem de re consulere integrum non est, quod illi copiosè, nos strictim hoc loco facturi sumus. Primum igitur & maximè familiare Philosophis, à creationis impoßibilitate sumitur.

1. Obiectio

mitur. Existimant enim ij, non potuisse mũdum à Deo ex nihilo creatũ esse, q̃a talis nascẽdi mod⁹ exemplo caret. Quis enim vnquã ex nihilo q̃cq̃ fieri vidit? Insup neq; possibile videtur, vt mutatio accidat, vbi nõ est vllum subiectum, q̃ mutetur. Rursum creatio qua res ex nihilo effectæ sunt, vel est creatura, vel extra genus rerum, quę ex nihilo ortę sunt. Si creatura est, rursum quæretur, num creatio per quam esse cœpit sit creatura, idque de illius creaturæ productione rursum, donec vel ad creationem perueniatur, quæ non sit creatura, vel vniciuisque rei creatæ sunt infinitæ creationes: quorum vtrunque æquè absurdum. Nam si est quicquam præter Deum, quod non sit ab ipso creatum, corruent omnium superiorum rationum fundamenta. Rursum si per infinitas creationes intermedias fit vnaquæque creatura, nunquam eius effectio absoluetur: siquidem infinitum pertransiri non potest. Item si deus est rerum omnium causa, locus ergo nullus erat, in quo ante conditum mũdum versari poterat. At verò quicquid est, alicubi est: si ergo nusquam tunc fuit, in totum fuisse non videtur. Denique cum tot sint venenata animalia, tot bestiæ humano generi pernitiosæ, tanta morborum & miseriarum quibus obruimur copia: cum terra in sentes

2. obiectio. 3. obiectio. 4. obiectio. 5. obiectio.

& vepres ſponte luxuriet, bonas verò fruges, etiam poſt infinitos agricularum labores, ęgrè producat; cùm natura hominis tarda ſit ad virtutes capeſſendas, prona verò in omne nefas: cumque mors, qua nihil terribilius eſt, ineuitabili neceſsitate cunctis hominibus immineat, quis credat Deum mundi opificem, cum à fonte bonorum, tantum malorum agmen profluxiſſe non ſit veriſimile?

Ad orimã obiect. Reſponſio.

Sed ad hæc facilis reſponſio eſt. Cogitandum igitur, Deum eſſe ordinis, quem naturalia agentia obſeruant, auctorem. Atqui ſi iniquum eſſet, patremfamilias ijs legibus aſtringere, quas mancipijs ſuis præfixit, multò ergo iniquius erit, Deum, qui infinito propemodum interuallo natura ſuperior eſt, ſub naturæ leges reuocare velle. Quòd verò obijcitur, nũquam viſum eſſe quicquã ex nihilo produci, friuolum eſt. Mundus enim in ſui primordio tot rerum generibus inſtructus eſt, vt ijs noua adijci ſuperuacaneum ſit. Quod autem primam totius vniuerſi creationem nemo viderit, mirum non eſt: cum adhuc nullus eo tempore locus extiterit, in quo ſpectatores operum diuinorum conſiſtere poſſent, nec ſolis lumen in rerum natura fuerit, ſine cuius adminiculo fruſtra creationi mundi fuiſſent ſpectatores adhibiti.

biti. Ad id verò ꝙ de mutatione ſine ſubiecto dicitur, reſpondemus parum nos de nomine ſollicitos eſſe. Itaque ſi placet hãc ſolũ mutationem vocare, quæ in ſubiecta materia recipitur, fatemur creationem non eſſe mutationem. Sin mutationis nomine intelligitur, quælibet effectio eius quod ante non erat, ſiue ex ſola promanet efficiente cauſa, ſiue ex materia eliciatur, non erit cur creatio negetur eſſe mutatio. Nam & tranſitus à non eſſe ad eſſe, quædam mutatio eſt: nec abſurdè id mutatum dicatur, quod cum antea non eſſet, iam incipit exiſtere. Tertia obiectio dilemma eſt, quo non ſolum creatio, ſed & quæuis alia mutatio impeti poteſt. Nam & de illa quæretur, num mutatione aliqua eſſe incipiat, an non. Et ſi neges per mutationem incipere, aliquid igitur ſine mutatione eſſe incipiet. Si dicas mutationem naſci mutatione, rurſum hæc ſecunda per aliam mutationem ſumet initium, & ita nuſquam inſiſtet hæc mutationum addaggeratio. Norunt etiam, qui in philoſophicis diatribis verſati ſunt, huiuſmodi captiunculis in tempus locum & plura alia ludi: norunt & ψευδομένους συλλογισμοὺς eodem artificio fieri. Ad quartam obiectionem dici poſſet, quod alius quidam ad non diſsimilem quæſtionem reſpondit. Rogatus enim quid ante mũ-

Ad ſecũd. | Ad tertiã. | Ad quartã.

Aug. libro confess. di creationem Deus egiſſet; geennam, inquit, fabricabatur ijs, qui tales quæſtiones proponunt. Sed quia violenter potius quæſtionem abrumpit illa reſponſio, quàm ſcrupulum eximit, aio, Deum ante mundi conſtitutionem eodem in loco fuiſſe, atque modo eſt; hoc eſt nullo. Non enim ſpiritualis illa & ſibi ſufficientiſsima natura loco indiget: ſed tam locus, quàm cæteras omnes creaturas omnipotenti eius dextera fulciri neceſſe eſt, ne in nihilum, vnde prodierunt, recidant. Quin neque rebus quantitatem molis habentibus, adeò locus neceſſarius eſt, vt mox ea periclitari oporteat, ſi abſque loco intelligantur. Nam cædò quem locum ipſe mundus occupat? Quod ſi is ſine loco poteſt exiſtere, fruſtra aliquem Dei locum requirimus.

Locus Dei an vllus.

Ad quintã. Quod ad beſtias homini noxias attinet, primum illæ minimè ſuperuacaneæ videri poſſent, ſi nullus earum alius vſus eſſet, quàm quod hominem ſuperbum ſuæ fragilitatis memorem efficiunt. Iam verò præter hanc vtilitatem & alias plurimas afferunt, ſi non hominibus, ſaltem alijs rebus. Etenim ſerpentes, qui hominibus exitio ſunt, delicatiſsimum ciconiarum pabulum exiſtũt. Sanguis taurinus, quo epoto homines mori dicuntur, animali iſti ſalutaris eſt. Succus radicis, quam occidentales Indi hiuccam appel-

Cur venenata animalia.

Themiſtocles.

lant,

lant, toxicum est: & tamen radix illa, panis loco regionum illarum incolis existens, sine tali succo gigni non posset. Nonnulla quæ initio pro noxijs fugiebantur, postea compertum est, morborum quorundam præsentissima remedia esse. Vulgatum est, theriacas, quibus natura contra quælibet venena munitur, etiam serpentum carnibus constare. Insuper sunt hoc genus animantia Dei hominum peccata vindicantis instrumenta: aut salubria, vt minimum, generis humani terriculamenta: vt multitudinem insidiarum, quibus appetũtur, & suam ad resistendum infirmitatem ad memoriam reuocantes, Deum, sine cuius præsidio inter tot mala tuti esse nequeunt, pro virili sibi conciliare studeant. Vltimò ad alios vsus nobis ignotos adhibentur, quos, inquit D. August. oportet diligenter inquirere, & vbi ingenium aut infirmitas nostra deficit, ita credere occulta, sicut erant quædam, quæ vix potuimus inuenire. Porrò cætera mala, quæ tragicis vociferationibus Epicuri secta prosequitur, & vult mundi à Deo haud conditi certa argumenta esse, Christianis negotium non facessunt, vtpote, qui ex sacris literis norunt, illa non pertinere ad naturam hominis primum instituti, sed pœnam damnati: vt non debeant in auctorem mundi con-

ferri: ſed primorum parentum inobedientiæ imputari.

Quod ex eo conſequatur, mundum diuina prouidentia regi, quia is à Deo effectus eſt.

CAPVT XI.


QVæcunque hactenus de mundi origine dicta ſunt, ea non alio conſilio attulimus, quàm vt ſuper ijs velut fundamétis ſanam de regimine mundi ſententiam extruamus. Sunt enim hæc duo tam neceſſario nexu inter ſe apta & coniuncta, vt non exiſtimem quéquam integrè & ſincerè poſſe Deum mundi opificem confiteri, quin idem & regimen eiuſdem Deo tribuendum eſſe cenſeat. Epicurei qui mundum fortuito atomorum cócurſu genitum fingunt, ijdem & numinis eum prouidentia gubernari inficiati ſunt. Peripateticorum nónulli poſteaquam non arbitrio diuinæ voluntatis, ſed naturali neceſsitate mundum à Deo emanâſſe docuiſſent, in impias de mundi regimine cogitationes lapſi ſunt. Itaque ſufficeret mundum ſuo opifici tot rationibus aſſertum eſſe, quemadmodum veterum plerique de prouidentia tractantes, contenti fuere Deum eſſe mundi effectorem demonſtrare; niſi vererer eſſe quoſdam, qui pro-

prie

prio Marte hanc vtriusque dogmatis connexionem perspicere nequeant. Horum igitur gratia, & quia nulla argumenta in tanti ponderis causa superuacanea existimari debent, παχυμερέστερον hac de re disseremus. Primum igitur nemini dubium est, quin, si vellet ac posset, huius mundi architectus hoc suum opificium regere & moderari, mox effectus consequeretur. Quocirca si id minimè facit, vel non potest, vel non vult mundi curam gerere, aut certè nec vult nec potest. Quicquid horum dixeris, in tot absurda incurres, vt etiam pertinacissimos suę persuasionis defensores ad palinodiam adigere possint. Si enim aias non deesse Deo facultatem totius mundi curandi, sed voluntatem duntaxat: id verum esse nequit, nisi quia ἀπρονοησία nec aduersatur diuinæ sapientiæ, nec bonitati, nec iustitiæ. Hoc enim cunctis mortalibus de eo persuasum cui diuinitatem tribuunt, rectam & inculpatam illud voluntatem habere, nec posse quicquam secus facere, quàm fieri conuenit. Deus iustus est inquit D. Paulus, seipsum negare non potest. Et Plato de repub. libro 2. Si Deus est, mentiri non potest: si mentiri potest, Deus nó est. Atqui nihil æquè cum Dei sapientia, bonitate, ac iustitia pugnat, quam ipsum in cœlis à mundi procuratione prorsus

Dei voluntas necessario recta.

sus

ſus feriatum deſidere,& otioſum tantum rerum humanarum ſpectatorem agere. Sapientis enim proprium officium,gubernacula tractare, & alios qui minus valent conſilio & prudentia,ad finem congruẽtem dirigere: & præclarè ab Ariſtotele in primo politicorum traditur, imperantem à ſeruiente, quodammodo naturaliter prudentia & imprudentia diſcretum eſſe, perinde atque ſi ijs qui ſapientia & conſilio cęteros mortales antecellunt, iure naturæ imperium debeatur: alijs verò,qui rationis inopia laborant, eadem natura lege perpetua parendi,& ex alieno præſcripto viuendi debitum imponat. Cùm igitur Dei ſapientia ſumma & immenſa ſit, creaturæ autem multis defectibus obnoxiæ eius ope indigeant, quò ad id cuius gratia conditæ ſunt peruenire poſsint, ipſum ius naturæ, aut potius ipſa æterna Dei lex requirit, vt Deus gubernatoris in hac magna mũdi republica partes agat,creaturæ verò eiuſdem regimini ſubijciantur.Sed hîc obſtrepunt Philoſophaſtri nonnulli, vnde nos prouidẽtiam ſtabilire conamur, inde illam volẽtes euertere. Aiũt enim,Dei maieſtate ac ſapiẽtia indignum eſſe,ipſum rerum vilißimarũ,quibus inferior hęc mundi pars referta eſt, procurationi inuigilare. Quid enim gliribus, muribus, pulicibus, & id genus

nus

nus alijs animalculis abiectius? Nunquam terreni reges adeò se deprimunt, vt vilissima quęque ministeria ipsi per se obeant, sed ministris suis illa cōmittentes, de arduis negotijs, & quibus totius regni salus continetur, cum amicis in regia tractant. Magis ergo diuinæ maiestati congrueret, sola cœlestia per se curare; sublunaria verò, tanquam eius cura parum digna, cœlo regenda committere. Nam metuēdum profectò, ne dum honoris diuini prætextu ipsum ad terras sordibus & immunditijs, quas etiam nominare verecundum esset, inquinatas deducimus, imprudentes Dei honorem & maiestatem potius immînuamus. Grauissimè à Platone dictum est, οὐ θέμις καθαρῷ μὴ καθαροῦ ἅπτεσθαι, id est, impurū puro contingere nefas est. Cùm igitur Deus purissimus, & ab omni corporea concretione alienissimus sit, non est fas ipsum ad nostras sordes accedere, ijsque procurandis manum admouere. Ac proinde quadam ergo diuinum numen reuerentia apud omnes mortales opinio obtinuit, Deum à nostris fecibus procul remotum in cœlo tanquam domicilio versari. Id quod & Homero placuisse video, dum ait: ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι. Sic illi. Sed respondendum ijs, si ex creaturarum dignitate æstimare velint, quibus nam par est

par eſt curam à Deo impendi. nihil in tota rerum vniuerſitate erit, quod prouidentia numinis dignum videbitur: Omnia enim ad eius infinitam excellentiam comparata, nihil aliud ſunt, quam exiguus terræ puluiſculus. Sin diuinam ſapientiam contemplemur, nihil tam protritum eſt, quod ſua cura indignum iudicare debeat: tum ꝙ parum congruat opera manuum eius ab ipſo deſpectui haberi, ac ideò ne viliſsima quidem animalcula, quandoquidem ex ipſo tanquam prima omnium rerum ſcaturigine & illa profluxerũt: tum etiam quia in eo non mediocriter eniteſcit Dei virtus & ſapientia, quod rebus quæ per ſe nullius pretij ſunt ad maximi momenti res conficiendas abuti poteſt. Animalia, inquit, D. Auguſtinus quæ minus habent molis, plus habẽt admirationis. Quid enim mirabilius oculo, quem non videt oculus? Quis non magis roſtrum miretur culicis, quàm promuſcidem elephantis? Quis cannam tam exilem crederet excauatam eſſe, niſi beſtiolam ſibi alimentum per eam ſugere compertum eſſet? Quæ hæc præpoſtera Dei ſollicitudo eſſet, ſolius cœli per ſe curam habere, cæteris verò, atque in his & humano generi nullam curam, niſi per cœlum impendere: cum cœlum, elementaque omnia non aliam quàm domicilij rationem

Multũ eſt in minutis animalculis miraculi.

nem habeant, si ad animalia & potissimum ad hominem comparentur? An ne æquum est, Deum habere diligentiorem domicilij curam, quam ipsius habitatoris? Ipsúmne similem fingemus stultis quibusdam parentibus, qui, dum in id totis viribus incumbũt, vt filijs suis amplissimas opes accumulent, quibus interea sint moribus, qua eruditione ipsi filij, quibus illæ opes aceruãtur, non magnopere laborant? Sunt enim homines quodammodo filij Dei, & ad eius imaginem cõditi, quatenus mentis & consilij societate, quibus, teste Cicerone, nihil habet Deus ipse diuinius, cum ipso coniunguntur. Nec mihi reges terrenos opponas, ex eorum fastu & superbia Deum æstimans. Hi enim tam præposteri sunt suæ dignitatis vindices, vt cum aratrum attingere tãquam rusticanum detestentur, scortari, commessari, magnos scyphos exhaurire, germanè regium ducãt. Sed neque inter hos laudatissimus quisque ab ἀυτȣργία rustica abhorruerunt. Nam, vt in Oeconomico suo Xenophon scribit, Cyrus minor Lysandro Lacedæmoniorũ duci hortum ostendit, quem ipse proprijs manibus conseuerat, ac in ordinem digesserat, nullam inde maiestati regiæ iacturam metuens. Sed etsi demus esse quædam opera, quæ parum reges deceant: non tamen ideo conce-

Homines filij Dei.

2. de nat. Deor.

cede-

cedemus, quicquam in mũdo esse quod Dei cura indignum sit. Nam quia reges propter naturæ imbecillitatem vbique præsentes esse, & omnia per se curare nequeunt, restat ergo, vt maximè ardua & statum regni incolumem spectantia administrent. Verùm Deus pro suæ naturæ inexplicabili præstantia procurando minima à magnorum cura non retardatur. Quod si adeò placet illud regum exemplum; quoniam nemo dubitat, quin inprimis regium sit, liberorum suorum mores curæ habere, efficitur, vt, si minus deceat brutorum curam à Deo geri; saltem hominum res, mores, vitam, studia ab ipso curari quàm maximè conueniat. Nec admodum nos sollicitos habet, quod terra multo pedore, multisque sordibus obsita esse dicitur, quasi idcirco Deum, si in terris versaretur, necesse sit eius immunditie coinquinari. Nam si Solis radius per cloacas & loca immunda penetrans suam retinet sinceritatem, quanto magis Deus incorporea & impatibilis mens, nihil labis ex corporum quãtumlibet fœdorum contactu accipiet? Est etiam considerandum, sensibus nostris quædam videri fœda, quia sunt facultates corporeæ, in quadam elementorum inter se temperie, & iusta commoderatione sitæ: vnde fit, vt eorum corporum sensu offendan-

fendantur, quæ ab illa mediocritate ad alterum extremorum declinant. Intellectus verò, qui omnis compositionis expers, omnium eorum, quæ esse participant, commune quoddam receptaculum est, nihil fœdum vel abominabile ducit, quod entis nomine quoquomodo censetur. Verùm solis vitijs & peccatis offenditur, quæ sunt naturalis ac debitæ rectitudinis quædam priuationes. Cùm igitur sensibus diuina natura non vtatur, nihil afferũt impij & irreligiosi quidam homines, qui cum audiunt Deum vbique præsentem esse, mox inferũt, ijs quoque locis ipsum versari, quos sine honoris præfatione nominare haud licet. Quasi verò vllis sordibus aut graueolentia diuinum numen magis offendatur, quàm eiusmodi hominum irreligiosa impietate. Ac de sapientia hactenus: nunc ostendendum, quod neque salua bonitate sua poßit Deus mundum deserere ἀκυβέρνητον. Quo loco illud principio considerandum, Deum non egestate aut proprij quæstus vlla expectatione permotum, huius vniuersi molitionem aggressum esse: sed liberalißima bonitate adductum, voluisse vt suæ dotes cum creaturis quadam ex parte communes fierent. Etenim quid omnium bonorum copia circunfluenti ex rebus à se conditis emolumenti accederet?

Causa cur Deus mundum condidit.

Quid exuberantissimo fonti guttæ quædam tenues conferre possent? Iam verò si Deum, non externæ pepulerunt fingere causæ.
Materiæ fluitantis opus, sed summa supremi
Forma boni.

Quis credat ipsum tam cito sui factum dissimilem, quam in condendo mundo bonitatem declarauit, eandem in gubernando minimè præstare? Hæccine est illa prædicata omnium gentium linguis ac literis Dei bonitas, vnde etiam apud Germanos nomen inuenit, vt ipse abiectis rerum habenis cœlo se contineat, quicquid infra lunam est, cæco casu sursum ac deorsum iactari permittens? Aut si quam curam ijs impertiat, illa non sit alia, quàm per cœli irrequietam vertiginem id beneficij prẹstare, quod sit asinis ac bubus cum homine commune? Adeóne rerum omnium parentis Dei auris aggrauata erit, vt miserorum & afflictorum hominum preces exaudire non valeat? Vt impiorum iniurijs ac violentia oppressi, ne hoc quidem habeant residuum, vt oculos suos in cœlum leuare queant? Quouis igitur terræ vermiculo infelicior erit homo, vt qui corpus magis quàm cætera animalia infirmum habet, & rationem insuper tali rerum statu ad nihil vtilem futuram, quàm vt suas calamitates melius persentire queat. Omitto núc quam

Germanis Deus dicitur GOtt quasi gut.

sit

ſit alienum à Dei bonitate, tot mala quę ſub ſole contingūt, ſine vllius cōmodi reſpectu quo tāta ordinis optime inſtituti perturbatio ſarciatur, permittere. Illud tantum dico, videri mihi Philoſophos, qui mundum eſſe Dei opus confitentur, & nihilominus prouidentiam eius lunæ cœlo terminari ſtatuunt, non tam Deum tueri primam rerum omnium cauſam, qàum tacitè Epicuri negotium agere; cùm eo præſidio pios deijciant, quo vno contra nefarios impiorum latratus diuinam bonitttem defendunt. Cùm enim quærūt à nobis Epicurei, quo pacto credibile ſit Deum eſſe mundi tot latrocinijs ac ſceleribus referti, ac tam vberem malorum prouentum quotidie efferentis, cōditorem: cum Manichæi interrogant, cur non potius alicui primo malorum principio rerum viſibilium originem acceptam ferimus, quando quidem fide caret tantam malorum Iliada, quantam in mundo cernimus, à bono Deo proficiſci potuiſſe, totam defenſionis ſpem in eo ſitam habemus, vt oſtendamus mala illa ex creaturis progerminare, quatenus ex nihilo orta rurſus in nihilum tendunt: nec aliud eſſe, quàm boni quod ineſſe debebat priuationes. Permitti verò malorum tantam vbertatem, quia ex eo præcipua & ſingularis Dei bonitas eluceſcit, quod etiam de

Quæ origo mali, & quare à Deo permittitur.

malis benefacere nouit. Suam enim iustitiã non mediocriter illustrat, dum flagitiosos & ordinis benè cõstituti perturbatores meritis supplicijs addicit: bonorum verò patientiam iusta mercede remunerat. At verò si Deum facimus rerũ sublunarium, & pręcipuè humanarum procuratione abstinere, ne hiscere quidem contra hos mundi creatoris antagonistas audebim9. Quis igitur existimet, eos seriò Deum mundi opificem credere & non potius suspicetur, eos causæ Dei rerum conditoris ab Epicuri familia præuaricatores appositos esse, qui arma nobis eripiunt, quibus mũdi creationem defendamus? Rursum, contra mundi à Deo constructionem sic nonnulli argumentantur. Vel, inquiunt, bonorum causa Deus mundum condidit, vel malorum. Non malorum; quia illi digni non erant, quorum gratia tantam molem excitaret. Nec bonorum; quia illi plerunque in hoc mundo infelicissimi sunt. Et si illis optio deferretur antequam nascantur, vellentne mundum ingredi, an non: haud dubium, quin præoptaturi essent, nunquam nasci, ne mala quæ sub sole contingunt, cum cernere, tum experiri cogerẽtur. Verùm ad hanc obiectionem velim scire, quid responderi possit ab ijs, qui negant Deo res hominum curæ esse, nec quicquam pro benè acta

vita mercedis cuiquam in futurum expe-ctandum esse. Si igitur hoc argumentum sine Dei prouidentia, malos punientis, bonos remunerantis, dilui non potest, quisquis mundum à Deo credit effectum, idem & prouidentia eiusdem res hominum administrari confiteatur necesse est. Quod si nunc ad Dei iustitiam considerandam nos conuertamus, facile intelligemus, neque illam passuram, vt res humanæ ab ipso negligantur. Nam quis non videt, quam foret ab eius iustitia alienum, eos qui omnes suas actiones ad ipsum colendum, eiusque gloriam amplificandam conferunt, eodem loco habere, quo atheos, periuros, blasphemos, θεοστυγεῖς & id genus alia portenta? Et tamen hoc iustitiæ obseruantissimo Deo impingere coguntur, qui vel nullam ei rerum sublunarium curam, vel non aliam, quàm quòd cœlorum conuersione terram fœcundat, tribuendam censent. Istud enim beneficium pessimis iuxta ac optimis commune est. Si quisquam mortalium reperiretur, qui benè de se meritos non maiori beneuolentia complecteretur, quàm hostes suos capitales, hunc nemo dubitaret, non solum iniquum esse, sed indignum etiam, qui à quoquam amaretur. Quod igitur in homine tantopere displicet, qua fronte Deo attribuetur? Sed & illud co-

gitandum, naturæ leges à Deo mundi conditore hominum mentibus insculptas esse (iam enim cum illis mihi res est, qui mundum esse Dei opus confitentur) quocirca par est ipsum aduigilare, num ab hominibus eæ leges obseruentur. Alioquin enim quid eo legislatore abiectius esset, qui posteaquam suam voluntatem subditis patefecit, nihil deinceps curaret, an subditi in officio essent necne? De humanis legibus dicebat Solon, esse eas similes aranearum telis, quibus cum minutiora animalia capiuntur, maiuscula eas disrumpunt. At si horum sententia vera est, erunt diuinæ leges aranearum telis multò imbecilliores, vtpote quas non solum potentes impunè contemnant, sed etiam debilissimi quique ludibrio habeant. Rogare etiam velim hos ἀπρονοησίας patronos, ecquid sentiant de terrenis iudicibus, quorum iustitia & μισοπονηρία omnium sermone celebratur. Verbi causa, an laudandum iudicent Zaleucum Locrensium legislatorem, qui cum legem tulisset de adulterorum oculis eruendis, ac postea contingeret filium eius adulterij manifestum fieri, maluit pœnam illam inter se & filium partiri, ita vt altero oculo vterque orbaretur, quàm committere vt tam graue scelus inultum relinqueretur. An Iunij Bruti & Man-

Brutus.

lij

lij Torquati in propria ſobole necanda ſe- Torquat⁹.
ueritas, an Catonis maioris in perſequendis Cato.
corruptis Romanorum moribus diligentia
probanda. Si quid habent ingenui pudoris,
non audebunt, opinor, non laudandos illos
dicere, qui cum ipſi à vitijs abſtinerent, in a-
lijs illa ſeueriter vindicabant: cum neque il-
los ſua commendatione poſteritas fraudâ-
rit, qui cum ipſi vitam minimè innoxiam
ducerent, alios tamen impune delinquere
paſsi non ſunt. Illud enim non ſine laude
Cambyſis, alioquin illaudati regis, in hiſto- Cambyſes.
rijs commemoratur, quòd, Herodoto in
principio Terpſichores auctore, Siſamnem
iniquum iudicem viuum excoriâſit, & pel-
lem eius throno affixerit, in quo filius eius
ius dicturus erat. Et Auguſto Cæſari licet Auguſtus.
impudico, & multis adulterijs infami, laudi
tamen datur, quòd Ouidium impudicorum
carminum ſcriptorem in exilium relegârit.
Si igitur homines ob iuſtitiæ Zelum laudi-
bus vehendos cenſemus: cùm nulla Deo lau-
datarum virtutum deeſſe poſsit, proculdu-
biò & ipſe ſcelera odit, ac nefarios homines
iuſtis vult afficere ſupplicijs: præſertim cùm
ipſe humanis mentibus eam notionem im-
preſſerit; qua rectè fieri iudicant, vt qui
toti reipub. præſunt, in ſontes iuſta animad-
uerſione deſęuiant. Quod ſi hoc naturale iu-

dicium ex diuinæ ſapientiæ fonte, quæ humanæ mentis effectrix eſt, profectum, falſum eſſe nequit, etiam Deum congruit ea eſſe voluntate, vt in mundi republica, cuius ipſe principatum inabdicabili iure gerit, nõ patiatur quenquam impunè ſceleratum eſſe. Vt igitur hunc locum concludamus, quãdoquidem oſtenſum eſt, neque ſapientiæ Dei, neque bonitati, neque iuſtitiæ conſentaneum eſſe, vt ipſe neglectis rebus humanis circa cardines cœli perambulet, non commiſſurus eſt, vt hac in parte ſuæ ſapientiæ & iuſtitiæ deſit, ſi modo rei difficultate, quò minus id faciat, non prohibeatur. Solum igitur nunc conſiderandum, num poſsit Deus totam rerum vniuerſitatem ſua prouidentia complecti. Ac non eſſe tam difficilem, etiam minutiſsimorum quorunque procurationem, vt vires Dei exuperet, argumento ſit nobis, quòd iam multis rationibus declaratum eſt, prorſus non congruere, vt ſinat Deus incerto caſu mundum, & præcipuè res humanas fluctuare. Si enim mundi gubernationi parem ſe non eſſe, antequam eius molitionem aggrederetur, ſciebat, abſtinere potius ab eo fabricãdo debuiſſet, quàm in eam ſe difficultatem cõijcere, vt mũdum ἀκυβέρνητον & imperfectum relinquere cogeretur. Nemo enim ſapiẽs tale opus machinari incipit,

pit: cui ob virium imbecillitatem non potest summam manum imponere; imòquòd tam imperfectum & informe relinquere compellitur, vt satius foret illud non existere, quàm eo modo existere: nedum Deus id faciat, quem nemo dubitat longè sapientissimum esse. Quod verò optabilius sit, nunquam conditum esse mundum, quàm talem conditum, qui nulla Dei prouidentia regatur, satis ex eo liquere existimo, quòd optimus quisque se mallet nunquam natum, quàm à primis incunabulis vsque ad mortem fortunæ ludibrio exponi.

Sed hîc Philosophi quidam nescio quid mussant de libertate Dei. Contra quos si nullum aliud argumentum proferre possemus, id certè omnibus cordatis sufficere deberet, quòd intolerabile sit, vllam Deo necessitatem affingere ad mundum construendum, si satius fuisset nunquam ab ipso huic operi manum admotam esse. Atqui si Deus minimè consulit rebus humanis, si hominum, quod ad Deum attinet, eadem est conditio quæ brutorum, si nulla cœlo pietas, quę lachrymis innocentum commoueatur, si ad nihil aliud nascimur, quam vt per exiguum tempus vitæ nostræ, cum optimè ceciderit, opiparis dapibus ventrem farciamus, hoc solum post mortem habituri,

quod edimus, ac bibimus, quodq́; exaturata libido hausit, quis non videt melius actum iri cum hominibus, si nunquam nascerentur, ac verum esse illud Theognidis:

πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον
μητ᾽ ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου

Id est, vt ad verbum interpretemur, omnium quidem optimum esset terræ incolis non nasci, neque aspicere radios velocis solis. Quod si prętaret nunquam homines natos esse, quàm tali lege in lucem editos; idem de reliquo mundo iudicium foret, eo quod is humani generis causa sit effectus. Itaque vt modo dicebam, ijs, qui ne fateri cogãtur, sponte vllum errorem à Deo admissum esse, negarent eum potuisse sibi ab eius operis molitione temperare: id vnum sufficit obiecisse, quòd nihil in Deum contumeliosius dici queat, quàm ipsum necessitate teneri illius faciundi, quod fieri non oportebat. Verùm ex abundanti etiam demonstrabimus, non esse Deum necessitati subiectum, sed liberrima eius volũtate creaturas in esse prodijsse, vt planum fiat, frustra Dei necessitatem contra tot absurda, quæ ἀπρονοησίαν comitari fusè declarauimus, obtendi. Sed quia hanc quæstionem intricatiorem suis disputationibus fecere Philosophi, quàm vt pau-

cis explicari queat, ideo eius tractationi totum ſequens caput dicabimus.

Quod libera voluntate Deus mundum produxerit.

CAPVT XI.



Ntequam ad rei propoſitæ demonſtrationem acccedimus, primum ſpero nos facile impetraturos ab ijs, qui Deum ſuæ poteſtatis eſſe negant, ipſum non inconſulto quodam naturæ impetu, quomodo grauia deorſum feruntur, ſuas actiones inchoare. Operum enim diuinorum artificioſiſsima compoſitio auctorem prodit artificem. Artifex verò eſt, non qui ſine conſilio & ratione præceps ad actionem fertur: ſed qui primum finem aliquem ſui operis cogitatione complectitur, mox talem eius ideam efformat, quæ fini quem ſibi proposuit ad amuſsim reſpondeat, ac tandem voluntatis ſuæ imperio, quod animo conceperat, in lucem profert. Artem quidem perfectam non deliberare dicit Ariſtoteles, ſed antequam rei artificioſæ ideam firmiter ſuæ menti inſculpere quiuit artifex, attentiſsima ipſi cogitatione finem ſui artificij verſare ac meditari neceſſe fuit. Itaque & Deus intelligendus eſt, non naturali pronitate, quæ omnem mentis actionem præcurrat, rerum naturas

Deus nō agit ex impetu naturæ.

turas architectatus esse, sed præeunte mentis iudicio, quod voluntati modum operis dictaret ac præscriberet. Non quod velîm in diuina natura, quæ immutabilis est, vllam vicissitudinem succedentium sibi mutuò cogitationum intelligi, sed ordinem tantum quendam θεοπρεπῆ in illa sempiterna essentia cogitari, quo ipsius agendi modus ab actione naturali distinguatur. Nec id Aristotelem, aut Platonem, aut quenquam alicuius pretij philosophum negaturum existimo.

Si enim sine mente & consilio hoc vniuersum constitutum est, quare Deum potius, quem omnes hoc intelligunt, quod sapientia cæteris omnibus antecellit, quam brutam quandam, & à ratione desertam naturã eius cõstructioni prefuisse, aut fortunę temeritate cunctas res in eum, quem nũc habent, ordinẽ redactas esse fingimus? Si verò ductũ suæ mẽtis in agẽdo Deus seq̃tur, vbicũq; igitur talis actioni subiecta est materia, vt nulla reddi posit ratio, cur agat potius, quàm nõ agat, aut cur sic potius quàm aliter agat, ibi sua libertate vtetur, & quod videbitur, apud se constituet. Nec alia ratione docemus hominẽ libera voluntate præditum esse, nisi q̃ rationis iudicio suas actiones temperat, ac proinde si viderit ad finem, quem naturaliter desiderat, assequendum, haud multum

Vnde probetur hominem esse liberi arbitrij.

refer-

referre, hoc agat, an aliud, liberè se ad alterutram partem eligendam applicare potest; ne si non queat, dum mens inter æqualia rationum pondera nutat, liberè se ad hoc vel illud amplectendum determinare, frustra consultandi facultatem adeptus esse videatur. Est enim consilium de ijs duntaxat, quæ ἐνδεχόμενα Græci appellant, ac vel fieri vel non fieri possunt. Quo iacto fundamento, facile erit multa inuenire Dei opera necessitati exempta. Primum enim cum Deus nulla re extra se egeat, sed sui ipsius contemplatione beatus sit, nihil ipsius intererat, an mundus crearetur, nec ne, libera igitur voluntate illum creauit. Rursum cum nulla sit ratio, cur ante sex annorũ milia poti⁹, quàm vel paulò citius, vel paulò serius sit creatus, durationis ei initium ꝓ suo arbitratu Deus præfixit. Similiter ꝙ nec maior nec minor sit, ꝙ nec perfectior nec imperfectior, quam quæso rationem habet? Quis etiam dicere audeat, omnium stellarũ situm certa ratione constare, cum nullus inter eas ordo, nulla digestio animaduerti posit, sed εἰκῇ huc illucque per cœlum disperse iaceant? Singula igitur hæc, & plurima alia, quæ Gregorius Ariminensis in primum sentẽtiarum scribens collegit, non idcirco hunc in modum se habent, quod aliter saluo dictamine mentis

Stellarum situs non vbique necessariam rationem habet.

tis diuinæ fieri non potuerint; verum quia Deo visum fuit sic potius, quam alter ea instituere. Plus dico, fieri nõ posse, vt appetit⁹, qui præeunte cognitione ad agendum determinatur, in alterutram partem declinet, cum paribus cogitationum momentis hinc & inde incitatur, nisi suam actionem in manu habeat; sicut impossibile est, trutinam quæ in diuersum æquis ponderibus trahitur, huc potius, quàm illuc inclinare. Itaque nisi Deus liberrimæ voluntatis esset, nunquam ab illo quicquam prodijsset, quod nulla necessaria ratione sic potius quam aliter factum esset. Dices fortasis, his argumentis nihil aliud doceri, quàm non esse causam diuinæ necessitatis ex rebus ipsis petendam: verum haud liquere ex præcedentibus, an Dei sapientia & potentia modum operum diuinorum excedant. Quid si enim diceretur, vbicunque tu ais ex parte rei nihil obstare, quo minus aliter quippiam fiat, quam effectum esse cernitur, ibi diuinam potentiam deficere; vtpote quæ hoc vniuerso fabricando ita prorsus exhausta sit, vt nihil restet in quo vlterius elaborare queat. Scio equidem solum, hoc χρησφύγετον ijs superesse, qui Deum necessitati subijcere vellent, verum inde ipsos nullo negotio depellam, si diuinam potentiam multò latius patere ostendero,

quàm

qàum vt huius vniuersi cancellis circumscribatur. Cædò igitur, tu qui Deum nihil aliud posse dicis, quàm quod nunc ab ipso fieri vides, anne eiusdem potentiæ sit cœlum ad orientem, vel ad occidentem mouere? Si vtrunque ijsdem viribus fieri posse, pro eo ac debes, confiteris; quid erit cur Deus, qui vnum horum facit, alterum, quod eiusdem facultatis esse haud negas, facere non possit? An forte dicturus es, eum nescire, quod diuersis modis ad eundem scopum æquè commodè perueniatur? Deum igitur lógè infra hominem deijcies. Nemo enim hominum tam stupidus est, vt non aliquando, velut in biuio dubius hęreat, nec constituere apud se posit, quam viam ingressurus sit, eo quod diuersa itinera pari compendio ad eundem finem perductura videantur. Ad hæc quo pacto vnum ex multis fini, quem sibi proposuit, congruere animaduertit, nisi & cætera huic similia eodem tendere perspexerit? Quomodo quisquam sciet, Petrum esse hominem, nisi idem & cęteros, quorum eadem est naturæ ratio, hominum appellatione comprehendi intelligat? Atque vnum hoc epicherema proculdubio sufficeret, ad ostendendum, quàm parum sit in illa defensione pręsidij, qua nonnulli non ex rebus ipsis, sed ex Dei impotentia causam necessitatis pe-

tentes, sat cõmodè se argumentis pro eius libertate allatis occurrere existimarent. Verum quò plenius elucescat Dei libertas, & contrarij dogmatis summa absurditas, ἐκ περιουσίας diuinam sapientiam & potentiam nullis terminis definita esse demonstrabimus, præsertim cum horum infinitas nouũ argumentum pro Dei libertate suppeditet. Si enim vlla infinita virtus necessitati naturali subiecta esset, eadem quia suas vires in potestate non haberet, sed semper totas eas in agendo expromeret, effectum haud dubiè infinitum produceret. Cùm igitur omnia Dei opera finita sint, sequetur profectò, vel non esse infinitam eius potentiam: vel si ea immensa sit, non esse ipsum naturali necessitate deuinctum. Quare vt eius libertas demõstretur, nil aliud requiritur, quàm vt naturam Dei infinitam esse planum fiat. Id verò his argumentis euincimus. Primum si Dei natura est αὐτοούσιος, ad nullam caussam originem suam referens, non potest finitatis eius ratio ex causa sumi: si verò nec materiam habet in qua recipiatur, neque in materiæ paucitatem naturæ eius finitas conferri potest. Atqui si omnino certis finibus terminata esset Dei essentia, vel efficiens ei certos limites præfinijsset, vel certè à materia certum terminum adepta esset: quomo-

do

do videmus tanta fere esse artificum opera, quanta per materiæ copiam vel inopiam esse poterãt. Atqui neutro horum modorum terminata est diuina essentia: infinita igitur sit necesse est. Quod si essentia Dei infinita est, neque potentiam & sapientiam eius infinita esse dubitandum est. Multæ hoc loco aliæ rationes ad ostendendam naturæ illius æternæ infinitam sapientiam & potentiam afferri solent; verùm quia nolumus rem certissimam parum firmis argumentis dubiam efficere, omissis ijs, quæ peruicaces non conuincunt, & infirmis nil nisi scrupulos ingerunt, ad clarissima libertatis diuinæ documenta accedamus. Considerandum igitur, perpetuam durationem quarundam specierum non à solo Deo pendere: sed neque à Deo cum vniuersalibus causis, Sole dico & stellis; verùm ad hanc necessariam esse, præter memoratas causas, ipsius speciei cooperationem. Nullum enim perfectum animal, si naturales nascendi leges spectentur, sine parente eiusdem secum naturæ gigni potest. Itaq; si non verbis tantũmdo, sed re ipsa defendere volumus, Deum esse totius mundi auctorem, fateri cogimur, retrorsum supputando perueniri posse ad hominem vel equum, qui immeditatè à Deo effectus sit. Ac de cæteris perfectorum animalium indiui-

duis idem intelligi volo. Eorum enim, qui nunc procreantur, genitura, præsupponit vniuersum iam constitutum esse, ordinemque agentium & patiėtium descriptum, species rerum, ex quibus mundus componitur effectas. Sed non rectè Deus vniuersi conditor diceretur, nisi totus ille causarum ordo, quo mundi integritas velut fulcro nititur, ab ipso profectus sit. Quemadmodum neque Solon reipublicæ Atheniensis fundator verè dici posset, nisi ordinem quo magistratus à plebe distinguūtur, & leges, ex quarum præscripto noui reipub, gubernatores defunctis prioribus sufficiuntur, instituisset: sed non secus quàm posteriores illi, Laches, Euctemon, & cæteri, secundum iam statutas leges ciuitatem gubernâsset. Quod si Deus causas propagationis specierum in ordinem digesit, non cuiusuis equi causa fuit equus; sed quando primum is ordo constitutus est, equum immediatè à Deo fieri oportuit, vnde cæteri in posterum nascerentur. Idque prorsus necessarium esse demonstrari potest similitudine à repub. sumpta, in qua magistratu decedentes, alios sibi successuros nominarent. Facile enim intelligitur, si talis respublica suam originem ad primum aliquem auctorem refert, initio suæ fundationis non potuisse quæstores, prætores, consu-

les ac

les,ac cętera publica munia obeũtes à ſuis antecesſorib⁹ eligi: ſed primos magiſtratus immediatè ab ipſo fundatore electos eſſe oportere. Cùm verò & in mundo animalium & ſtirpiũ multò maxima pars vi generãdi antequam decedunt poſteros ſibi ſufficiat, ſequitur, magnam eſſe huius vniuerſi cum tali republica ſimilitudinem,& proinde quotquot ſincerè credunt, Deum eſſe magnæ huius ciuitatis cõditorem, non poſſe abnuere,quin cuiuſque ſpeciei, quæ per propagationem ſeruatur, prima quædam indiuidua, nullis alijs cauſis intermedijs à Deo effecta ſint, vt deinceps per hæc opitulante Deo & cœlo cætera gignerentur. Quod ſi certum aliquod, in vnaquaque ſpecie indiuiduum primò factum eſt, inter illud igitur & vltima quæ in præſenti exiſtunt, finitus numerus mediorum interiectus eſt. Vbi enim eſt aliquid primum & vltimum, ibi media non poſſunt infinita eſſe. Atqui infinita ea eſſe oporteret, ſi infinitis ſeculis durauit ſpecierum per generationem conſeruatio. Infero igitur ex his, non fuiſſe perpetuo generationem, ac ideo nec mundum carere ſuæ durationis principio. Ac tanti eſt apud me hæc ratio, vt ea non dubitem firmiſsimè demõſtrari, eos qui mundum ponunt æternum, non poſſe ipſum à Deo conſtitutum defen-

dere. Vt cunque enim elabantur, quoad ostendere conamur res ſtabiles, cuiuſmodi eſt cœlum, non videri eſſe Dei opera, ſi perpetuò extiterunt; certè cum ad naturas ſibi inuicem ſuccedentes ventum eſt, pugna æternitatis mundi eiuſdemque creationis tam manifeſtè conſpicitur, vt nimis ſtupidus ſit, qui eam non poteſt animaduertere: nimis impudens, qui poſtquam animaduertit, pertinaciter veritati pergit obſtrepere. Nec dubito, Ariſtotelem pro ſuo acumine facilè perſpexiſſe, quam parum conueniant duo hæc dogmata. Itaque cum æternitatem mūdi aperta fronte ſe ampleсti profiteatur, de eius tamen effectione tam parcè locutus eſt, vt qui negant mundum eſſe à Deo creatum, ſub vmbra auctoritatis eius deliteſcere audeant. Sed viderit ille, quomodo ſua decreta inter ſe cōciliet. Nobis in p̄ſenti ſufficit oſtendiſſe, non poſſe integram retineri de mundi creatione ſententiam, ſi is æternus credatur. Sunt plura incommoda, quibus Scholaſtici theologi mundi æternitatem impugnant, quæ quia magno ſtudio Franciſcus Toletus in ſuis cōmentarijs collegit, non opus eſt hîc repetere. Hoc ſolum addo, non rectè eos occurrere argumento, quod à dierum & indiuiduorum præcedentium infinitate ſumitur, qui aiunt infinitum

quod ex succeſsione cõſurgit, poſſe exiſtere; quod verò totum ſimul exiſtit, nequaquam. Cùm enim naturæ infiniti magis aduerſetur ꝑ partes & fruſtillatim exhauriri, quam rem quampiam ſtabilem, quæ infinita ſit, in rerum natura eſſe; multò incomprehenſibiliora dicunt, qui æterna ſecula durationis mundi preterijſſe tradunt, quam qui magnitudinem eius nullo termino comprehenſam eſſe docet. Si tamen prorſus flagitant ſibi demonſtrari infinitum aliquod totum ſimul exiſtens ex mundi æternitate conſequi: fingatur ſingulis diebus, per quos mundus ſubſtitit, numerus hominum vno factus auctior, nec quenquam toto æternitatis decurſu per mortem de ſumma detractum eſſe: & multitudo hominum in præſenti infinita erit. Nec refert, ꝙ hominũ mortalitas non ſinat eos per infinitas annorũ myriadas manere ſuperſtites, verum ſatis eſt, eorum ęternam durationem nullam includere repugnantiam. Cùm enim ex imaginabili nil ſequi poſsit, quod ſub imaginationem non cadit, ſi modo imaginabile ſit, homines, quotquot omnibus retro ſeculis nati ſunt, in viuis remanſiſſe, neque inde quicquam ſequetur ἀσύςατον, aut inimaginabile. Atqui ex hac immortalitate hominis efficitur, multitudinem actu infinitam, in rerum natura

existere:non est igitur tale infinitum inimaginabile nec secum pugnant, qui illud esse statuunt. Sed contrà Aristoteles multis rationibus contendit, multitudinem infinitam necesse, nec omnino cohærere posse, & quicquid dè firmitate illarum rationum sentiamus, illud certè negari nequit, nullius hominis tantum esse acumen, vt modum intelligere queat, quo vlla corporum multitudo sit infinita. Ergo & mundi æternitas, quam talis multitudo comitatur, est incomprehensibilis. Alienum igitur est à grauitate Philosophi, cum per temporalem mundi ortum eas difficultates declinare valeat, sponte se in tam inextricabilem labyrinthum dare præcipitem. Si verò his argumētis obtineam, mundum non esse æternum, sequitur, id quod probare nitimur, Deum esse liberæ voluntatis. Nam quæ naturali necessitate ad agendum incitantur, ea si omnibus ad actionem necessarijs instructa sint, quiescere non possunt. Deus ergo cum semper ijsdem viribus præditus fuerit, si non potest non eas in actum cōferre; quemadmodum vitæ diuinæ tempora nullis terminis cōclusa sunt, ita neque durationis mūdi vllum initium inuenietur. Vt summopere mirer, quid sibi VViclefus, Bucerus, & Caluinus velint; qui cum haud negent, mūdum

dum ante annos nõ ita multos initium sumsisse, Deum nihilominus nil aliud posse facere, quàm quod facit, existimant. Sed contra hoc genus homines disputare, à nostro instituto alienum est: quare ijs dimissis ad Philosophos redeamus, & an vlla iusta ratione commoti diuinæ voluntati necessitatem imponant, expendamus. Primum igitur telum, quod in cœlum, diuinam libertatem oppugnaturi, eiaculantur, tale est. Si inquiunt, liber est Deus, non constabit ei sua immutabilitas. Poterit enim, hoc concesso, noui quippiám facere; ab otio proinde in actum mutabitur. Sed Deus immutabilis est: ergo neque liber. Nec eludi potest hæc obiectio prolatis exemplis, vbi noua actio inchoatur nulla facta in agente mutatione, sed tantum in patiente; vt cum, Sole nil mutato, res quæpiam ab eo calefieri incipit, quia ex tenebris in apricum locum transfertur. Talia, inquam, exempla non debent huic argumento opponi. Nam etsi nonnulli sic defendant, non necessario ex noua animarum creatione sequi Deum esse immutabilem; id tamen in mundi creatione, vnde nos Dei libertatem cõfirmauimus, locum nõ habet. Illic enim nulla in patiente mutatio Dei actionem præcessisse fingi potest, vt ita ipsum immutabilem permansisse tueamur:

Solutio eorum quæ cõtra Dei libertatem obijciũtur.

Nam mundi molitioni, nulla fuit subiecta materia. Cùm igitur ante omnem nouam actionem præcedat, vel in agente, vel in patiente mutatio, quia certum in patiente, quod nullum erat, præcedere non potuisse, vt in agente præcesserit necesse est. En argumentum, quo Aristoteles ante quamuis mutationem esse aliam priorem mutationem docere conatur, vt ita motum & ex consequẽti mũdum semper fuisse demonstret. Quod sanè quamuis difficillimum sit, & sua plausibilitate multos inescârit, Sophisma tamen esse ex eo colligitur, quod ipso parum immutato, & humani arbitrij libertas euerti posit. Quare non desunt Peripatetici, qui animaduerso hac eadem machina humanam libertatem concuti, Aristotelem fatalis necessitatis patronum fingunt. Horum vnus est Petrus Pomponatius, qui librum pro fato metu, vt opinor, inquisitionis nondum editum, scripsisse dicitur. Verùm quia tot locis Aristoteles humanam libertatem clarissimè confitetur, neque ipsius conscientiæ hoc argumento satisfactum fuisse arbitror. Id quod satis declarauit, cum patriam religionem, quæ nihil sani habebat, contemnere non ausus, falsis Græcorũ numinibus ceruicem vano pauore submisit. Nam testamẽto suo, quod morti vicinus, aut æger, vt minimum

Pomponatius.

Aristoteles fuit idolorum cultor.

nimum, cum arcana sui pectoris quisque aperire solet, condidisse ex ipso eius exordio deprehendi potest, talia apud Laërtium canisse legitur. Matris Cererem dedicari volo vel Nemeæ, vel vbi visum fuerit. Nicanorem quoque seruatum, quod pro ipso voui persoluere, & animalia lapidea quatuor cubitorum Ioui sospitatori, & Mineruæ opitulatrici Stagiræ erigere. Hæc Aristoteles. Quæ eius δεισιδαιμονία prorsus superuacanea fuisset, si superiori illa demonstratione se Deo libertatem ademisse persuasum habuisset. Ei enim vota nuncupare qui ita in vnam partem ex natura sua determinatus est, vt in aliam se flectere quadam fatali necessitate prohibeatur, hominis esset imprudentis & intempestiuè religiosi. Quod verò idem argumentum contra arbitrij humani libertatem accommodari queat, nunc ostendamus. Ad libertatem arbitrij requiritur, vt is qui liber est, queat, omnibus, quæ ad agendum necessaria sunt, eodem modo se habentibus, agere vel non agere; hoc vel contrarium agere. Potest igitur qui hactenus frugi fuit, nulla facta vel in ipso, vel in rebus electioni subiectis mutatione, deserta seueriori vita ad Sardanapali castra transire. Aut si id facere non potest, liber non est. Falsum est igitur, ante omnem nouam mutatio-

Votum Aristotelis.

Eodem argumento impugnatur Dei & hominis libertas.

nem, præcedere aliam quandam priorem mutationem,& ante hanc rurſus aliam, idq́; in infinitum:& tamen hoc axiomate nititur tota Atheiſmi ſtructura, vt dubium non ſit, quin eo labefactato, neceſſe ſit reliqua falſa dogmata, quæ hoſtes gloriæ Dei ſuper tali fundamento erexerunt, concidere. Atque hæc reſponſio ſufficere poſſet, ad eneruandam captionis illius Ariſtotelicæ vim, niſi quorundam curioſitas griphos griphis retundi haud contenta, ipſum nodum ſibi ſolui deſideraret. Quorum ſtudium, vt non prorſus improbandum cenſeo, ita eos memores eſſe velim humanæ imbecillitatis atque ideò, ſi quid me tale proferre videant, quod omnem ipſis ſcrupulum ex animo euellat, Deo paruulorum eruditori gratias agant. Si verò eorum expectationi non ſatisfecero, cogitent diuinam naturam eſſe pelagus tam profundum, vt etiam elephantes in eo ſubmergi poſsint, nedum ego culex illud ſaluus traijcere queam. Sciendum igitur, Dei ſimpliciſsimam voluntatem, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa eius eſſentia, tantæ eſſe perfectionis, vt ſimul includat omnia, quæ per partes in creaturis inueniuntur. Vt ergo, quod creaturæ diuerſis viribus præſtant, id totum ſimplici voluntatis ſuæ imperio Deus efficere poteſt: ita nouam actio-

nem

nem, quam naturalia agentia non possunt de se promere eodem manente patientis statu, nisi agendi facultas noua ipsis accedat, vel auctiores fiant vires, quas prius habebant: DEVS voluntate sua, quæ re ipsa quidem simplex, sed perfectione vsque ad infinitatem multiplex est, manente prorsus immutata, inchoare valet. Scio equidem humanę mentis aciem, quę rebus diuiduis contemplandis innutrita est, tantæ simplicitatis fulgore præstringi, & instar noctuæ in meridiana luce caligare. Attamen tam esse incomprehensibilem in perfectione Dei infinita simplicitatem, liquet ex creaturarum, quas saniores Philosophi ab ipso haud negant effectas, inspectione. Hæ enim cum pugnantes sæpè naturas habeant, quomodo vnica & simplici Dei voluntate produci potuerunt, nisi ea propter suam perfectionem inuariata posset efficere, quod creaturis non nisi diuersis viribus, & alio voluntatis habitu exequi datum est. Quomodo aquam & ignem, quarum sunt tam diuersæ qualitates, eadem voluntas, eodem modo affecta produxisse intelligeretur, nisi & hic simplissima diuinæ potentiæ perfectio, & perfectissima simplicitas præ oculis constituta, nostram imbecillitatem fulciret? Si enim hanc rem ad captum nostræ mentis, & ea,

quæ in natura contingere solent, reuocare velimus, non solum impietate plus, quam barbarica Deum ineuitabili necessitati subijciemus; verùm etiam cum Auicenna dicere cogemur multitudinem naturarum non esse ab ipso profectam, nisi quia secundam quandam mentem progenuit, à qua deinde res cæteræ suam trahant originem. Quod si hac solutione haud contenti, vlterius in hãc abyssum ingrediamur, & simplici veritati nostrarum quæstionum tendiculis insidiemur, futurum est, non solum vt ipsis Philosophis modestia simus inferiores, quorum Princeps Aristoteles fatetur, intellectum nostrum se habere ad spiritualium intelligẽtiam, velut oculus noctuæ ad lumen solis: sed etiam vt quãto irreligiosius in adytum naturæ diuinæ irrumpere conamur, & quæ incomprehensibilia sunt cæci pectoris nostri angustijs comprehendere nitimur, tanto longius ab ipso reiecti profundioribus tenebris inuoluamur. Quod si auctoritate sapientissimi Salomonis haud terremur, qui maiestatis scrutatorem à gloria oppressum iri confirmat; moueat nos quòd Simonidi poetæ vsuuenisse libro primo de natura Deorum Cicero scribit. Rogatus enim ab Hierone rege quid esset Deus, triduum sibi concedi postulauit, ad huius quæstionis solutionem

Non esse nimis curiose Dei naturam scrutandã.

nem

nem. Quo exacto negans se habere quod responderet, tantúdem sibi temporis ad deliberandum denuo concedi poposcit. Cumq; hoc triduo completo, alterum tantum dierum numerum peteret, rex causam tam crebræ procrastinationis sciscitatur : cui ille respondet, ideo se in aliud tempus semper responsionem reiecisse, quòd quanto diutius Dei naturam scrutatus sit, tanto se minus eam animo complecti posse, deprehéderit. Hæc pro Dei libertate dicta sunto, ne illa negata, quisquam se parum vrgeri antegressi capitis argumentis existimet. Verùm ne quis rudior id ꝙ nos dextra manu porreximus, sinistra excipiat, admonendi mihi sunt harum disputationum tyrones, non talem debere intelligi Dei libertatem, vt is, more hominum, id quod semel constituit, queat rescindere, vel per aliquod tempus assensum retinere, quasi nondum liquidò cognoscat vtram partem probare aut improbare debeat. Talis enim libertas sine mutabilitate intelligi nequit. Sed, vt vna cum libertate etiam τὸ ἀμετάβλητον naturæ diuinæ retineamus, cogitandum est, quicquid Deus noui facit, id eum æterno decreto apud se firmâsse. Nec in eo à Philosophis dissentit Ecclesia. Verùm hæc est controuersiæ inter nos & ipsos constitutio, quod nos, quia con- fide-

Quis sit status controuersiæ, inter nos & Philosop.

ſideramus actionem Dei fixam & ſtabilem non tranſire in præteritum, æternitatem decretorum Dei non repugnare ipſius libertati aſſerimus; ipſi verò æterna omnia neceſſaria eſſe contendunt. Quod nos ab æterno decreto temporariam actionem promanare poſſe dicimus; illi contrà negant, actionem nouam ab antiquo decreto proficiſci poſſe, ſine vlla intrinſeca agentis immutatione:

Sed de libertate Dei, & omnino de ꝓuidentię diuinę ex opificio mundi demonſtratione iſta ſufficiant.

LIBER

DE PROVIDENTIA DEI IN QVO ARGVMENtis moralibus Deus rerum humanarum curam gerere demonstratur.

PRÆFATIO.



Actenus ex prima vniuersi constructione Dei prouidentiam pro ingenij nostri mediocritate confirmare, & contra impiorum latratus defendere conati sumus: reliquum nunc est, vt cætera perlustremus, ex quibus dogma tam necessarium rebus humanis illustrari, & mentibus hominum altissimè infigi possit. Cùm igitur superiori libro scopus noster fuerit, primum ostendere Dei potenti iussi totum hoc vniuersum substitisse, ac proinde non denegaturum ipsum rebus à se creatis tutelam & gubernationem nisi par non esset, tot rebus cognoscendis & inspiciendis quod de eo qui hominibus mentem & intelligentiam impertitus est, dici non potest: nunc oportunum erit, Ethicis argumentis idem demonstrare. Postea-

Qui plãtauit aurem nõ audiet, aut q̃ fin.

xit oculū nō cōſiderat? Pſal. 39

ſteaquam enim præcedens tractatio quaſdam ſalebras philoſophicarum argutiarum, quibus Dei prouidentia, & ipſa pietatis fundamenta oppugnantur; continuerit; lectorem ex illis ſpinetis egreſſum faciliori aliqua materia interpoſita refocillare neceſſe eſt. Cùm verò Ethicæ diſputationes valere iuſſis ſubtilioribus materijs per campos liberiores rerum humanarum, & in communi vitæ vſu poſitarum expatientur, quid tam commodè ſuperioribus adſtrui poteſt, quam argumentum illud, quod totam de bene viuendo doctrinam prouidentiæ diuinæ, tanquam fundamento inniti oſtendit? Hoc enim, vt ſi vllum aliud, clariſſimè conuincit, eos nihil aliud quàm omnis improbitatis licentiam velle in hominum vitam inuehere, qui res humanas Deo curæ non eſſe docent. Hæc præfati nunc rem ipſam aggrediamur.

Naturalem hominis rationem dictare, virtutis officia ob nullos dolores, imò ne ob mortem quidem, deſerenda eſſe.

CAPVT PRIMVM.



Ncorruptior pars humani generis natura doctore vſa, non ſolum in genere bonum eſſe faciendum, malum verò euitandum cenſet, verumetiam multas ſpeciales de rebus agendis ac vitandis

dis notiones menti suæ indelebiliter impres-sas gerit. Quarum vna est earum voluptatum, quæ tactu & gustu percipiuntur, cupiditates frænandas esse. Idque primum ex eo perspicitur, quod eos, qui harum voluptatum cupiditate superiores fuerunt, omnes historiarum scriptores laudibus in cœlum vexerint, populi velut inclytos heroas statuis & alijs honorum insignibus ornandos existimârint. Veterum Persarum in victu parsimoniam in libro, qui κύρȣ παιδέια inscribitur, magnis prçconijs effert Xenophon. Curium velut dignum laude virum tota posteritas celebrat, quod à Samnitum legatis rapas ad focum assare deprehensus sit, quodque illis magnum auri pondus ipsi offerentibus, responderit, se malle aurum possidentibus imperare, quàm aurum ipse possidere. Antisthenem, Craten, Diogenem maximi reges venerati sunt, vulgus velut hominibus maiores suspexit, quod gulæ delitias & omnem corporis curam, rara quadam animi celsitudine contemnere potuerunt. Polyxenum, Xerxen, Apitium, Sardanapalum, & cætera gulæ mancipia, non solum historiarum scriptores asperrimè tractant; verum etiam cuncti mortales, velut publica humani generis dedecora detestantur, & bestiarum magis quàm hominum loco habendos

existimant. Quod verò ad Venerem & tactus voluptates attinet, quisquis illarum cupidinem rationis fræno moderari potuit, hunc magis, quam eos, qui se à gula inuictos præstiterunt, semper admirationi habuit posteritas. Nec tunc solum, quando extra omnem inuidię aleam positi erant, hoc genus homines miraculo fuere: verum etiam apud suos æquales, imò & hostes, maximus ipsis honos habitus est. Nullæ de hostibus relatæ victorię; Alexandrum Magnum tam illustrem reddiderunt, quàm quod cum tam inusitati rerum successus, eum insolentiorem facerent, cumque ipse flos ætatis, in quo versabatur, ipsum ad libidinem incitaret, pulcherrimas Darij filias in prælio captas ne aspicere quidem voluerit, nedum stuprum ijs inferre. Nihil inter omnia, quę Scipio Africanus præclarè gessit, t[illegible]topere cuncti extollunt, quam quod exercitus Romani in Hispanijs Imperator, captam elegantissima forma puellam suo sponso illibatam restituit. Virginitatem verò quæ tam constanter carnis voluptates repudiat, vt liciti etiam congressus spem omnem præcidat, quanti gentiles ante Christum natum fecerint, testantur ij honores, quibus Vestales virgines Romani prosequebantur. His enim cócessum erat pilento velut publicam pom-

pam

pam per vrbem vehi, his primus concessus in amphiteatro dabatur. Hoc enim de ipsis Prudentius libro secundo contra Symmachum scriptum reliquit. Præterea cum nihil homini vita carius sit, ac feri & immanis animi signum esse videatur, sponte se ad necem offerre, nihilominus eos, qui iustitiæ amore huius lucis vsuram cõtempserunt, nõ solum nemo feritatis accusare ausus fuit; sed omnes potius beatos, & nullo non honore dignos prædicant. Orestes & Pylades tam arcto inter se amoris vinculo coniuncti fuere, vt in Scythia certatim vnus pro altero mori contenderet. Quam charitatem cum olim in scena tragœdi populo spectandam exhiberent, tantę admirationi tam rarum amoris exemplum fuit, vt ad eius tragicam repræsentationem vniuersum theatrũ plausu perstreperet. Damon item quidam Pythagoricus, Philosophus, Pythiam amicum suum ardentissimo amore complexus est. Horum alter cum à Dionysio Siculorum tyranno ad mortem condemnatus peteret, antequam supplicio afficeretur ad suos proficisci, ac vadem pro se amicum relinqueret, facile id impetrauit, eo quod cuperet tyrannus, tam inuisitatę sponsionis exitum videre. Adfuit statuto die sponsor, & ad mortem, quam fidem fallendo euadere potuisset,

Orestes & Pylades.

Damon & Pythias.

ſet, perferendam ſe offert. Sed contra alter ſe periculo eximi nolebat amico ad necem tradito; itaque pium inter illos certamen ortum eſt, vter pro altero interficeretur. Quo tam laudabili fidei & charitatis exemplo tyrannus adeò commotus fuit, vt non ſolum liberos ambos dimitteret; verùm & tertium ſe illis amicum iungi peroptaret. Tanta ſcilicet naturę vis erat, vt neque is qui animum longa ſcelerum conſuetudine efferatum habebat, tantam pietatem fauore dignam eſſe ignorauerit. Epiſcopus quidam re & nomine Firmus, vt quendam, qui ab Ethnicis ad necem quærebatur, proderet, quæſtionibus ſubiectus fuit: ſed tanti apud illum fides erat, vt ne officioſo quidem mẽdacio, & ſe & reum periculo liberare ſuſtinuerit. Verùm haud negans ſe, vbi reus lateret, probè cognitum habere, inter ſæuiſsima tormenta nihil aliud clamabat, quàm ſe nec mentiri, nec proditorem fieri poſſe. Sed nunquid Ethnici tantam animi conſtantiam contemnendam cenſuerunt? Minimè gentium. Sed ab odio ad venerationem tantæ integritatis conuerſi, liberum eum abire permiſerunt. Auctor huius hiſtoriæ D. Auguſtinus libro de mendacio. Marcus Arethuſius & ipſe epiſcopus, quia templum quoddam idolorum temporibus Chriſtia-

Firmus epiſcopus.

Marcus Arethuſius.

nis

nis euerterat, ab Ethnicis, q imperante Iuliano opportunitatem se vlciscendi adepti erãt, iubetur destructum fanum reædificare, aut tantum pecuniæ dependere, quantum ad eius instaurationem necessarium esset. Quod cum ille facere detrectaret, atrocissimis eum tormentis excarnificârunt. In quibus se tam constantem gessit, vt, illis tantisper impensarum æstimationem minuentibus, donec ad vnum aureum ventum esset, mori se malle indicârit, quàm ad idolorum cultum quicquam contribuere? Itaque & hunc capitales hostes propter inuictum animi robur admirati, interficere erubuerunt. Nec opus est ad historias recurrere, vt intelligamus dictatum esse naturæ, quod iustitia neque mortis metu intentato deserenda sit, quòdque honestum ac laudabile sit, voluptatum illecebras & blandimenta respuere: sed si quis in se descendat, ac tacitus apud semetipsum cogitet, itane an aliter se res habeat, eos qui satius ducunt vitam profundere, quàm iustitiam violare, viros bonos ac summo honore dignos iudicabit. Cæteros verò qui ex φιλοψυχία ab officio descíscunt, velut ignauos & degeneres nullo in honore ac pretio habebit. Nec dubium, quin idem de castis & incestis statuturus sit. Quin si & ipsum contigerit iustitia posthabita proximo

Nazianzenus orat. I. in Iulianũ

suo iniuriam irrogare, quantacunque tandem necessitate compulsus id fecerit, præsto mox erit conscientia mentem lancinans, ipsumque vt sceleratum & detestabilem accusans. Nec remissiorem carnificinam in animi sui penetralibus experietur, si temperantiæ modum in gustus & tactus voluptatibus excedat. Tunc enim futurum est, vt sibi aliquem audire videatur, qui in ipsum conuitia iaciat, ac sua ipsi dedecora ob oculos ponat; vsque adeò, vt præ pudore ac pœnitentia sibi ipsi horrori sit. Verissima enim est illa Musonij apud Gellium sententia, cum quis per voluptatem turpe quippiam fecerit, quod suaue est abire, quod turpe est manere. Ac tam potens est hoc naturæ dictamen, vt Lucianus Samosatenus, homo impensissimè deditus ridẽdis omnibus, quæ apud cæteros mortales aliquo in pretio sunt, non potuerit virtutem contemnere: sed cum vulgus Philosophorum ob profligatos mores contumeliosè passim accipiat, Epictetum se maximi facere non obscurè indicârit. Nec Epicurei, qui omnia sua studia ad voluptatem referebant naturalem hunc igniculum, ita prorsus opprimere potuerunt, quin in eorum dictis & scriptis se aliquando prodiderit. Quantum enim ex Ciceronis primo libro de finibus, vbi sententiam Epicuri

Conscientiæ carnificina.

Lucianus Epictetum magni fecit.

curi

curi de summo bono exponit, colligere possum, inter cæteras causas cur virtutes sint amplectendæ, etiam hanc Epicurus afferebat, quòd cuius in animo versatur improbitas, nunquam sinit eum respirare, nũquam quiescere. Seneca in epistolis Epicurum introducit dicẽtem, ex malè viuendo animi quietem perturbari, eo quod natura horreat scelera. Epist. 97.

Vt autem nunc omittamus quam præposterum sit, ideo putare fugienda vitia, quia ratio obstrepens omnem eorum suauitatem diluit, & non contrà, idcirco rationem ea horrere & auersari quia turpia, quia fœda, quia flagitiosa, id certè dignum obseruatione, quod in homine qui ex professo bellum contra virtutes gerebat, tam apertè lex naturalis à flagitijs velut manu iniecta retrahere animaduerti queat.

Quod ex illo naturali rationis dictamine Deum esse virtutis remuneratorem probari possit.

CAPVT II.

PORrò ex hac naturalis luminis ad probitatem instigantis scintilla, Dei prouidentiam erga humanum genus, hoc modo colligere licet. Cùm naturale sit illud de colenda virtute iudicium, certè

falsum esse nequit. Si enim natura nos fallere posset, ad cuius primos igniculos cursum in veritate inquirenda dirigimus, rediret illa vetus Academicorum desperatio, & nemo se vllius rei certam cognitionem adeptum esse iactare posset. Si verò, vt tam grauia incommoda euitemus, verum esse hoc naturæ dictamen fatemur, etiam nihil inde falsi vel absurdi consequi posse, fateamur oportet; quandoquidem nunquam sibi repugnare & in seipsam incurrere solet veritas. Atqui si nulla Dei prouidentia res humanæ gubernantur, ex illo naturali de virtute iudicio plurima consequuntur, quæ absurda esse, & rectæ rationi ex diametro aduersari, nemo sobrius ibit inficias. Primum enim natura suggerit homini voluptates carnis esse fugiendas; idque tanto importunius facit, quanto minus vitiorum assuetudine corrupta est. Adeo vt ijs qui à frugi vita se ad genialem transferre incipiũt, in ipso voluptatum vsu velut acerba monitrix instet, nec ipsos sincerum ex ijs gaudium capere sinat. Post verò quàm turpe quippiam voluptatis causa admissum est, acrior coorta pudore & dolore animum pungit ac vellicat; vt verissimè à D August. dictum sit, animum inordinatum sibi ipsi pœnæ esse. Si autem pro contemptu terrenorum bonorum nihil vnquam

quam homo adepturus ſit, quod ijs vel præſtantius, vel certè par ſit; ſi quæ in promptu ſunt, & tantum non extenta manu ipſi offeruntur, repudiare debet, nulla alterius boni propoſita ſpe, quod velut ἀντιτήχασις tam certæ iacturæ opponi queat: nil aliud profectò iſto naturæ conatu agitur, quàm vt ipſa ſeipſam infelicem & bonis omnibus nudam efficiat. Atqui ſi Dei prouidentia ad res humanas non extéditur, quid quæſo erit, quod pro contemptu bonorum huius vitæ viro probo rependetur? An tunc virtutis mercedem homines hominibus perſoluturos exiſtimamus? Atqui hoc multis de cauſis dici non poteſt. Primum enim virtus in pectoris receſſu, quo humana acies penetrare non poteſt recõdita manet; quare optimus quiſque virtutis cultor ſæpè præmio fraudaretur, & hypocritæ probitatem ſimulantes illud interciperent. Iam verò ſi maximè in vulgus nota ſint, quæ præclarè quiſquam geſsit, continget nonnunquam, vt multitudinis errore & ignorantia, quę optima ſunt, peſsima iudicentur. Nonne D. Paulus ait ſua ætate Chriſtianos, quibus nihil innocentius erat, pro mundi purgamentis, & omnium peripſemate, habitos eſſe? Quin hoc etiam concesſo, quod hominum iudicium, de ipſis virtutum officijs nunquam ſiniſtrum ſit,

Si non eſt prouidentia natura hominis ſibi inimica.

continget tamen ſubinde, vt quos probitatis ipſorum meritò venerari deberent, eoſdem velut ſui diſsimiles & ſcelerum ſuorum reprehenſores immani odio proſequãtur. Quales erant, quorum hęc apud Sapientem verba commemorantur Circumueniamus, inquiunt iuſtum, quia inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis. Quodſi neque id eueniat, ecquid tandem homo homini largiri poteſt, etiam cum maximè propitius eſt? An laudes? an honorem? an voluptates? an potentiam? Sed illa contemnere præcipuum virtutis munus eſt. Cùm igitur ex his perſpicuum ſit, vanam eſſe ſalutem, quæ ab homine ſperatur, vel naturam dum à bonis huius vitę auocat, ſibi ipſi inimicam eſſe dicendum eſt, vel ad illum remittere virtutis remuneratorem, qui & cordis arcana explorata habet, & nullo errore deuius à veritate fertur, & immobili voluntatis decreto iuſtitiam amat, & præmium virtutis præſtantia dignum viro bono conferre poteſt. Quæ in ſolum DEVM competere nemo ignorat.

Sapient. 2.

Non eſſe virtutem ſibi ipſi mercedem.

CAPVT III.

VERVM



RVM hîc nobis Stoici, non tam prouidentiæ hostes, quam virtutis immodici præcones, occurrent, & se hunc nodum sine Dei prouidentia posse dissoluere iactabunt. Est enim Paradoxorum, quæ ipsi defendunt, etiam hoc vnum; frustra aliquod virtutis præmium requiri, eo quod ipsa sibi amplissimę mercedis loco sit, nec altiori bono, cuius expectatione commendetur, indigeat. Sed errare ipsos & in errorem mittere his argumentis ostéditur. Primum certissimum est, eos hac in parte aduersari, omnium hominum iudicio. Omnes enim, tam sapientes, quam insipientes, in eo conueniunt, si non sit vllum præmium, quo virtutis labores ac molestiæ compensentur, meliorem futuram improborum, quam proborum conditionem. Id quod Iuuenalis indicare volens, quis, inquit, Saty. 10.

Virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?

Et quotquot extitere morum magistri, cum perspectum haberent frigidas & ieiunas futuras omnes ad virtutem exhortationes, nisi præmij sperati quodam condimento eius asperitas temperaretur, bona quædam suis auditoribus ex virtute obuentura esse polliciti sunt; alij gloriam immortalem,

lem, alij felicitatem in Campis Elyſijs, alij alia. Hinc illud de litera Pythagorę carmen, hinc Xenophontis Hercules, hinc illud Heſiodi.

Litera Pythagoræ. Xenophōtis Hercules,

τ̃ ἀρετ̃ ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν:

Vbi laborioſo ad virtutis culmen aſcenſui, mox termini, ad quem perducit, iucunditatem opponit. Ariſtoteles in Ethicis ſuis, cum videret ſe ſurdis cãtaturum fabulam, ſi nihil afferet, cur virtus amplectenda ſit, poſt longum de virtute ſermonem, ſubiungit tandem, velut priorum ἐπισφράγισμα, illos Deo charos eſſe, qui rationem ducem ſequuntur. Eius diſcipulus Simplicius in Epictetum ſcribens, ne operam perderet, multa de virtute præcipiendo, poetarum fabulas in auxilium aduocat, & quos illi iudices ac ſupplicia ſubterranea confinxerunt, virtutis contemptoribus interminatur. Ac ne putes, ſolius vulgi hanc eſſe ſententiam, illorumque ſtupiditati hac in re à ſapientibus ſeruitum eſſe; en tibi optimum iuxta, ac ſapientiſsimum virum Paulum Tarſenſem adducimus, qui palam profitetur, ſi cum hac vita omnis piorum ſpes concideret, fore vt ipſi cęteris mortalibus longè miſerabiliores ſint. Et auctor libri ſapientiæ, qui proculdubiò vir grauis & cordatus fuit, cum impios vitæ diſſolutæ & luxu diffluentis encomiaſtas

10. Eth. capite 8.

Simplicius laruam indoctis obijcit.

D. Paulus.

ſtas induxiſſet, illorum dementiam refutaturus, non ad caſtitatem & temperantiam magnificis verbis extollendam conuerſus fuit, verùm ſatius duxit, remunerationem futuræ vitæ & honorem animarum ſanctarum ipſis ob oculos ponere. D. Auguſtinus, cuius acre iudicium tot eruditiſsimi libri produnt, in confeſsionibus aperta fronte cõfitetur; niſi aliam vitam reſtare crediidiſſet, in qua vitæ anteactæ quiſque rationem redditurus eſt, ſe ad Epicuri partes conceſſurum fuiſſe. Diſputabam, inquit, cum amicis meis Alipio & Nebridio, de finibus bonorum & malorum, Epicurum in animo meo palmam accepturum fuiſſe, niſi ego credidiſſem poſt mortem reſtare animæ vitam & tractus meritorum: quod Epicurus credere noluit. Quod verò ſubiungit de lumine honeſtatis, & gratis amplectenda pulchritudine, quam vim habeat, poſterius expẽdemus. Pompeius quando ex pugna Pharſalica Athenas aufugerat, cum Cratippo Philoſopho, quem olim de prouidentia diſſerentem audierat, collocutus, ſciſcitatur, quo præclari illi ſermones de mundi gubernatione diffugiſſent, poſteaquam ipſe pro patria pugnans à Cæſare tyrannidem affectante victus eſſet. Scilicet non occurrebat Pompeio, omnia præter virtutem eſſe ἀδιάφορα, hanc verò

Auguſt. li. 6. cap. 16.

Plutarch.

rò fortunę subsidijs non indigere, sed solam ad beatitudinem sufficere. Et quid ego horum testimonia commemoro, cum M. Brutus homo stoicæ Philosophiæ imprimis adductus, quando suam causam à deteriori victam cerneret, in hæc verba, auctore Dione, proruperit, ὦ ἀρετὴ λόγος ἄρα ἦσθα, ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, id est, ô virtus nil præter verba eras; atqui ego te pro re colebam. Seneca licet virtutem multis locis ὑπερβολικώτερον laudârit, & virum bonum Dijs immortalibus æquare ausus fuerit, alibi tamen ad beatam & αὐτάρκη vitam adeò parum in virtute præsidii positum esse fatetur, vt optimam eorum conditionem esse dicat, qui nũquam nascuntur, nec vllum sapientem si in ipsius potestate esset nasci necne, cupiturum hanc vitam ingredi. Vnde intelligitur Stoicos licet in scholis grandia verba de honesto propter se amando trutinarent, cum tamen ad rem ventum esset, vulgi de virtute sententiam sibi probari non obscurè indicâsse. Sed omissis testibus, res cum re, causa cum causa confligat: ita enim futurum est, vt verane sit illorum, an nostra sententia diu latere non possit. Si igitur virtutes huius vitæ sibi ipsis sufficiant, nec præmio vllo, quod eas commendabiliores efficiat, indigent, illarum ergo exercendarum occasio omni conatu quęrenda:

Brutus.

Seneca.

renda: cumq; ea oblata fuerit, nullo vnquam tempore è manibus dimittenda esset. Verùm hoc de toto genere actionum honestarum nemo dicturus est, nisi animum ferum & immanem, corpus stupidum & sensus expers habeat. Quis enim nisi omnem humanitatem exuerit, non malit non lacessi conuitijs, quam mansuetudinem in male meritos reluctante animo suo exercere? Quis non potius optaret egestate, morbis, cruciatibus, ac alijs malis, quorum feracissima est vita nostra, nunquam vexari, quam eadem patienter & æquo animo tolerare? Quis non satius duceret nulla libidine ad incontinentiam sollicitari, quam cum eadem fortiter certando castitatem tueri? Et quicquid Philosophi præoptaturi sunt, Christiani certè qui magna probitatis laude floruerunt, tantum abest, vt eam ἀναισθησίαν probent, vt potius laboriosas huius vitæ virtutes pertæsi, cum D Paulo exclament: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius; & inter cæteras causas, cur mors bonis sit optabilis, etiam hanc recenseat, quòd molestissimum illud bellum, quo virtutes cum insita illa ad licentiosam vitam procliuitate decertant, morte terminetur. Qua verò fronte Stoici iactant virtutes sibi ipsis sufficere, cùm iustitia & charitas aliquando flagitent, Rom. 8. Cyprianus de mortalitate.
vt

vt nulli cruciatus, imò neque mors ipsa defugiatur? Cuius rei cum primo huius libri capite exempla sat multa allata sint, hîc noua afferre non est necesse. Quando igitur talis περίστασις incidet viro bono, vt ei omnibus tormentis excarnificato moriēdum sit, ne vel iustitiam prodat, vel temperantiam violet, quî poterit contra tam atrox malum solius honesti contemplatione labantem animum erigere, cum sibi & virtutibus suis, ac omni illi tam à Stoicis decantatæ felicitati ab ipsis iisdem virtutibus videat exitium imminere? Quomodo non ratio naturalis quæ tali rerum statu mortem potius eligendam, quam officium esse deserendūm suadet, bestia est seipsam comedens, qualem ꝓ ingenti miraculo olim Pharmacopola quidam exhibere pollicebatur? An fortè respōdebit, Stoicus animam corpori superstitem ad aliam vitam virtutibus locupletiorem factam concedere? Sed si vel nullus est Deus, vel non curat res humanas, haud dubium quin ex terrena materia ortum ducat anima, ac proinde materia dissoluta, & ipsam extingui necesse erit.

Auguſt. contra Iulianum.

Sed finge, non tam firmam esse horum dogmatum cohæsionem, quin sublata Dei prouidētia salua maneat animorum immortalitas; & nihilominus absurdum videbitur, quen-

quenquam ideo feliciorem esse, quia pro iustitia mortem oppetijt. Nonne si inter cruciatus animam exhalasse felicem efficiat, etiam felices sunt, qui sub tortoris manu adhuc spirant, quorum ille viscera rimatur, quibus faces admouet, quorum latera fodit? Optabile igitur erit, perpetuò in tormentis illis manere. Bonum enim quanto diuturnius, tanto melius. Vide quę ex hoc Stoicorum paradoxo incommoda sequantur. Porrò nihil habuisse Philosophos, quod huic nostræ argumentationi responderent, exemplo nobis sit Cicero in libris de republica, vbi cum Lælium Furio, qui iustitiam ijsdem, quibus nos rationibus oppugnauerat, respōdentem inducit, præcipua eius epichemata irrefutata, velut foueam prætergressus est, ipsa sua taciturnitate victum se esse, non obscurè significans. Vt igitur finem huic capiti imponamus, ex ijs, quæ hactenus dicta sunt liquet, non posse superioris capitis argumentum eludi, virtutem sibi ipsi mercedem esse cum Stoicis affirmando. Nolim autem quenquam ita hæc accipere, quasi negem veram pietatem esse gratuitam, & καπηλείαν virtutum à SS. Patribus reprehendi ignorem. Fateor enim cum Gregorio Nazianzeno δεῖν τὸ καλὸν ἐργάσασθαι, ὅτι καλὸν τῷ πατρὶ πέπεισται, id est, bonum esse facien-

Vide Lactantium libro 5. capite 16.

dum, quia pulchrum est, parenti suo DEO obtemperare. Verùm ea gratuita bonitas adeò non potest à mercede perpetuæ fœlicitatis separari, vt quoadusque Deus bonus, iustus, & pius mansurus est, eos qui parentis ipsum loco venerantur, & colunt, omnesq; suas actiones & studia ad amplificãdam eius gloriam conferunt, non sit deserturus. Sed longè alia ratio est virtutum moralium, quas Philosophi propter se expetendas esse docuerunt, nulla Dei hominum conditoris facta mentione. Atque huc etiam D. Augustinus spectabat cum libro 6. confessionum capite 16. deplorat, se non potuisse cogitare lumen honestatis & gratis amplectendæ pulchritudinis Sed de virtutis mercede hactenus,

Naturam in necessarijs defecisse, si res humanæ Deo curæ non sunt.

CAPVT IIII.

SEcundum incommodum, quod ex naturalibus illis virtutum seminibus exurgit, si Deus rerum humanarum curam non gerit, est, naturam, cum nusquam improuidentiæ possit argui, in vltimo actu, hoc est hominis constructione, tãquam inertem poetam defecisse: imò cum cætera quæ homini natura attribuit, insig-

nem eius solertiam declarent, in quo plurimum momenti erat, id ab ea neglectum esse. Si enim nihil ex virtute remunerationis expectandum est bonis, & nihil improbis ob suam nequitiam metuendum à Deo humanarum actionum arbitro & inspectore, nemo virtutis cultor esse vellet. Quare ne naturales illæ de virtutibus notiones in totum suo fine frustrarentur, alia ratione prouideri debuit, vt ad virtutis culturam homines propensiores efficerentur. Sed fortè contendet quispiam, hac in re naturam suo officio non defuisse, quandoquidem honestis actionibus quandam suauitatem inesse experimur. Quid enim turbulentius animo, qui affectibus velut quibusdam procellis huc illucque impellitur? Quid mansuetudine, castitate, sobrietate, & vt vno verbo dicam, quid vehementiorum illorum affectuum tranquillitate iucũdius? Ad hæc propensissimo naturæ impetu quisque afflictorum hominum sorte commouetur; vsque adeò, vt subinde, qui dum stårent hostium loco habebantur, ij deiecti commiserationem excitent. Verecundiam verò nonne veluti frænum natura hominibus & maximè fœminis iniecit, ne insana rabie in Venerem præcipites ruant? Nonne homicidium velut teterrimum facinus adeò quisque ex natu-

Homo habet quædã naturalia ad virtutẽ subsidia.

rali quadam φιλανθρωπία exhorret, & pauci tam efferati inueniũtur, vt homini vitam eripere queant? Reſpondemus, non diffiteri nos, quin aliquis naturæ conatus animaduerti poſsit, quo ad honeſtatem homines incitentur, & à flagitijs cohibeantur; verum non eſt is talis, vt argumento noſtro opponi debeat. Illi enim naturales inſtinctus, tam ſunt imbecilles, vt à prauis cupiditatibus nullo negotio obruantur. Naturale eſt alienis malis ad miſericordiam commoueri, ſed niſi animus odio tam cæcus ſit, vt potius aliena miſeria paſcatur. Horribile eſt hominem de medio tollere, ſed ijs, qui nulla iracundia perturbati ſunt. Ac niſi vererer, ne nimia rerum copia lectorem onerarem, ex omni antiquitatis memoria repeterem hîc, in quam multis gẽtibus, naturale rationis lumen extinctum fuerit. Proferrem Maſſagetarum communes vxores, perſarum inceſtas cum matribus & filiabus nuptias, Germanorum veterum in magna laude apud ipſos poſita latrocinia. Oſtẽderem apud Tauroſcythas, publica lege ſancitam fuiſſe hoſpitum mactationem, apud Cananæos ſolenne fuiſſe propriam ſobolem in honorem idolorum exurere, apud Cyprios morem inoleuiſſe virgines nubiles proſtituendi. Nunc verò his, & ſexcentis id genus exemplis omiſsis,

Exempla gentium in quibus naturæ lumen extinctum fuit.

etſi

etſi cóceſſero, ad quaſdám virtutes tantum ſubſidij à natura collatum eſſe, humano generi, vt ipſa ſuo officio probè functa videatur; ad pleraſque tamen multò remiſsius à natura extimulamur, quàm ad contraria vitia inſita quadam ad peccandum pronitate ferimur. Facilius malum eſſe quàm bonum,

τὴν μέντοι καχότητα καὶ ἰλαδὸν ἐςὶν ἑλέσθαι
ρηιδίως, ὀλιγὴ μὲν ὁδὸς μαλὰ δ᾽ἔγγυθι ναίει.

Inquit Heſiodus. Et in Euangelio dominus noſter, viam quæ ad interitum ducit latam & ſpatioſam eſſe fatetur; nec id quiſquam negaturus eſt, niſi qui nunquam anguſto virtutum calli veſtigia impreſsit. Itaque, vt nunc ſumus homines, nemo rationem ad ardua ducem ſequi vellet, niſi ſpe pręmiorum & metu ſuppliciorum indomita cupiditatum vis retunderetur. Si enim nunc cum plerique oculo Dei vindici omnia nuda & aperta eſſe credunt, tam multi dirupto iugo & confractis vinculis in omne nefas proni feruntur, quid futurum eſſet ſi nullo diuinæ vltionis metu, à flagitioſa quiduis perpetrandi audacia retraherentur? Idque cum perſpectum haberent legum latores & morum magiſtri, leges ſuas & præcepta viuendi diuinæ prouidentiæ ſigillo munienda, & obſignanda eſſe cenſuerunt. Itaque nulla vnquam reſpublica ſine religi-

one inſtituta eſſe cernitur, ſed ante leges de iuſtitia & mutuis ciuium contractibus, alias priores de cultu numinis cuiuſdam omnium actionum humanarum arbitri & inſpectoris antecedere. Cuius rei inſigne exemplum ex Diodori Bibliotheca hiſtorica, operæpretium erit huc aſſcribere. Is igitur de

Zaleucus. Zaleuco Locrenſium legiſlatore ſic ſcribit: Statim in exordio omnium legum dixit Zaleucus oportere ciuitatis incolas, primò perſuaſum habere, Deos eſſe, & mente contemplari, cœlum, & ornatum eius ordinemque animaduertere: non fortunæ, nec hominum eſſe hæc opera; deoſque colere, vt omnium in vita bonorum hominibus auctores. Animum quoque malitia vacuum eſſe debere, cum dij malorum ſacrificijs non delectentur, ſed bonorum virorum rectis & honeſtis ſtudijs. Hoc procemio ciues ad iuſtitiam & pietatem prouocans, ſubiunxit cætera. Hæc Diodorus. Zaleucum ſecutus Plato commodiſsimum cenſet, à prædicatione diuinæ iuſtitiæ leges exordiri. ὑπὲρ ἁπάντων τῶν νόμων κάλλιστον καὶ ἄριστον προοίμιον ἂν εἴη, τὸ θεοὺς τε εἶναι καὶ ἀγαθοὺς, δίκην τιμῶντας διαφερόντως ἀνθρώπων. Omnium, inquit, legum pulcherrimum & optimum procemium fuerit, Deos eſſe, eoſque bonos, & iuſtitiam in maiori pretio quàm homines habere.

Natu-

Naturam non prouidisse, sat firma humanæ societatis vincula si Dei prouidentia mundus non regitur.

CAPVT V.



TQVe hoc loco se aliud argumẽtum offert, quo natura demonstratur, non solum in eo parum erga humanum genus prouida fuisse, quod homini quem ad virtutem genuerat, non satis magna ad eam colẽdam subsidia contulerit, verum etiam quòd cùm eũdem sociali vitæ aptârit, ea per quæ hominum inter ipsos societas conseruaretur neglexerit. Omnis enim humanæ societatis fundamentum est iustitia, vsque adeò vt ea sublata, nil aliud essent humanæ respub. quàm magna quædam latrocinia. Sed iustitia non solum ideò nulla sine cultu veri Dei inter homines retineri potest, quòd hominis prima & potissima ad æternum eius numen colendum sit obligatio, qua ratione D. Augustinus libro 19. de ciuitate Dei, negat vllam inter Romanos iustitiam viguisse: sed etiam quia neque ciuilis illa iustitia, qua humana commercia & contractus diriguntur, sine metu DEI iniuriarum & fraudum vltoris sarta tecta præstari potest. Neminem fugit, quàm necessaria res Cap. 21. Iuramenti vtilitas & necessitas.

ad iustitiæ tutelam sit iusiurandum; quamque sæpè accidat, vt eius præsidio innocentes calumnijs liberentur, rei prodantur, suspiciones de aliena fide aboleantur, maximę controuersiæ terminentur. Sed omnis iuramentorum religio à fide prouidentiæ DEI pendet. Cùm enim iurare nil sit aliud, quam Deum omnis perfidiæ & iniquitatis vindicem in testem aduocare: pauci tam erunt proiecti ad audēdum, vt, si DEVM esse omnium arcanorum conscium, sibi persuaserint, ipsum ludibrio habere, & mendacij testem citando, in suum caput irritare non vereantur. Sin neque scire Deum quid agāt homines, neque curare arbitrentur; eodem loco habituri sunt, viros iuramentis fallere, quo pueros astragalis: quod Lysandrū Lacedæmoniorum ducem Plutarchus dicere solitum esse testatur. Denique vt planum fiat, quam sit necessarius ad hominum societatem & pacificum conuictum, Dei vindicis omnia lustrantis timor, nonne si fingamus rempub. aliquam ex solis impijs conflatam esse, ea multò erit deterior futura, quàm illa Philippi Macedonis poneropolis, imò quàm sæuissimorum latronum quodcunque σύστημα? Primum enim constat nulla in eiusmodi repub. templa futura, nulla φροντιστή-

Lysandri dictum.

τιςή-

τισήρια, vbi de timore Dei, & sanctè viuendo verba fierent, nullas scholas vbi ad honestatem & virtutes iuuentus erudiretur. Quis enim posset esse virtutibus in ea repub. locus, vnde omnium virtutum neruus, Dei vbique præsentis timor exularet? Quam frigidæ illæ conciones, non solum apud vulgus hominum, quod sensuum dolore ac voluptate potissimum ducitur, verumetiam apud eos, qui ingenium liberalibus disciplinis excultum haberent, futuræ essent, quibus multa digna & indigna, pro iustitia ferenda esse dicerentur, etiamsi neque in hac vita ab hominibus, neque in futurum à Deo vllum inde emolumentum sperari posſit? Porrò cum non sit obscurum, quàm facilé obbrutescat homo, si non recta institutione corrigatur naturæ prauitas, sed longa vitiorum assuetudine, insiti illi à natura igniculi opprimatur; intelligit per se quiuis, fore, vt in tali repub. stupris, adulterijs, cæterisque flagitijs, quæ aliqua voluptatis illecebra homini blandiuntur, omnia feruerent: furta, rapinæ oppreſsiones orphanorum & viduarum pro ludo haberétur, atque, vt apud Sapientem ingenue impij confitentur, cuique sua fortitudo esset lex iustitiæ. Si dicat quispiam posse istum flagitiorum impetum mi-

Vulgus potiſsimum dolore & voluptate ducitur.

Sapientiæ 2. cap.

nis ac terrore legum sisti; huic ego non grauatè concedam, publica facinora legum rigore quadam ex parte excludi posse. Verùm quàm frequentes incidunt in tenebris & solitudine peccandi occasiones, vbi nemo arbiter adest, qui in reum queat testimonium dicere? Quod si neque is defuerit, quàm facile erit reo eosdem data mercede corrumpere, ne ipsi suo testimonio periculum creent? Quod profectò si faceret, ecquod deinceps læso perfugium superesset, quæ via reliqua rei suæ recuperandæ? Neque enim iuramentum testibus deferendo, metu diuinæ vindictæ eos ad veritatis confessionem adigere posset, quandoquidem sciret nulla ipsos Dei religione teneri. Itaque hoc euentu qui læsus est, quia quod reo intendit probare non potest, velut calumniator in talionis pœnam incurret. Ac sit ita sane, vt testes ij verum fateri velint; adhuc reus alios totidem conducere poterit, qui testentur eum tunc temporis alibi visum esse, cum alter se iniuria affectum queritur; vt olim Clodius se Romæ haud fuisse probare contendebat, cum sacra Bonæ deæ ab ipso violata esse dicebantur. Quinimo si neque hac via se periculo eximere posset, adhuc tertia rima superesset, iudicis nimirum corruptela. Si enim munerum ea vis est, vt sapientum ac

Clodius.

bono-

bonorum virorum oculos excæcare dicantur, quanto facilius ijsdem impius aliquis & planè irreligiosus iudex de iustitiæ tramite transuersus agatur. Vt autem perspiciatur, quam facilè sit ijs, qui Deum non timent, terrenorum iudicum oculos perstringere, documento sit nobis, quod de duobus Salentinis, Datio, & Blatio apud Appianum Αννιβαικοῖς refertur. Horum natalis loc9 Salētia cum ab Annibale occupat9 esset, Blatius qui rei Romanæ studebat, Datium sollicitat, vt communi consilio Romanis clam Annibale Salentiam proderent. Datius Annibali fidus Blatium proditionis accusat. Quod crimen cum is strenuè à se repelleret, & calumniam esse veteris inimici dictitaret (multos enim annos simultas quædam inter ipsos intercesserat.) Annibal neque prorsus contemnens eam delationem, neque statim inimico fidem habendam esse existimans, vtrumque à se abscedere iussit, tanquam consideraturus apud semetipsum quid facto opus esset. Cùm verò exitus perquam angustus esset, in eo rursum Blatius Datium submissa voce sic affatur: num seruabis ô bone patriam tuam? Quo audito exclamat ille, se de proditione rursum appellari. Tunc Blatius multa obtestatus, iam, inquit, videtis me calumnia appeti. Quis enim illud crimen,

Appianus Alexand. de Datio & Blatio.

cuius

cuius nomine reus agitur, & quod à se depellere conatur, propemodùm in ipso iudicis conspectu rursum patrare audeat? Visus est igitur Annibali Blatius innocens, quocirca & in posterum nihil veritus inimici sui criminationem, non destitit ipsum ad defectionem ab Annibale ad Romanos prouocare. Ex hoc exemplo intelligitur, qualis esset futura rerum humanarum conditio, si non homines metu iræ diuinæ à perfidia retraherentur, & quam verè à Cicerone dictum sit, pietate aduersus Deum sublata, fidem & societatem generis humani, & vnam maximam virtutem iustitiam tolli. Nec opus est, vel exemplis comprobare, vel rationibus coniectare, quanta rerum omnium perturbatio ex Epicureo de prouidētia dogmate sequatur, cum ipse Plinius, qui audacia plus quam Cyclopica Deum è mundo proscribere audet, sponté fateatur ex vsu vitæ esse, credi Deum, pœnasque maleficijs aliquando seras, nunquam autem irritas.

Plinius liber de historia naturali.

Quid respondendum sit ijs, qui docent populum ficta religione in officio continendum esse.

CAPVT VI.


SED nonnulli cum sine religione non posse incolumem seruari rempublicam vidēt, ficta religione po-
populum

pulum in officio continēdum eſſe monent; hac ratione ſatis commodum huic malo remedium, ſe afferre arbitrantes. Proponunt hi Minoem Cretēſem, qui in antro quodam ſe cum Ioue colloqui fingebat, vnde ab Homero διὸς μεγάλȣ ὀαριςὴς nuncupatur. Numam Pompilium, qui conſuetudinem ſibi cum Aegeria nympha eſſe mētiebatur. Adhæc Zamolxin Thracen, Mahumetem, Arabem, pluresque alios, qui vt facerent animos humiles formidine diuum, varijs impoſturis ſimplici vulgo illuſerūt. Verùm ij, homines, dum vnum abſurdum euitant, in aliud multò grauius imprudentes incurrūt. Dum aliorum probitati conſulere volunt, ac ijs iuſtitiam, temperātiam, fortitudinem, aliaſque virtutes colendas eſſe perſuadere, ſe ipſos impoſturæ & mēdacij turpi labe commaculant. Quæ autem hæc dementia eſt, aliorum vt ſerues integritatem, euertere propriam? Nonne eadem natura, quæ ſuum cuique tribuendum eſſe præſcribit, etiam fallere & mentiri, ab officio viri boni aliena eſſe docet? Ergo, ſi ad eas anguſtias res humanæ rediguntur, vt ſine ficta religione ad honeſtatem nemo incitari queat, vt quædam naturæ dictata tuearis, quędam violare neceſſe erit. Et falſa ſunt illa præconia, quibus naturæ prouidentiam Philoſophi extu-

lere,

lere, falsum illud vulgatum axioma, naturam in necessarijs non deficere. Aut si alibi nusquam improuidentiæ conuinci potest, in solo homine sui dissimilis erit Quod si quis contenderet, non esse contra officium boni viri, publicæ vtilitatis gratia mentiri, quemadmodum Plato docuit, mendacio fas esse vti velut Helleboro: hunc ego multis maximi ponderis argumentis redarguere possem, & ostendere fidem, quæ fundamentum est iustitiæ, prorsus vacillaturam, si cum etiam à viro iusto quicquam asseueratur, semper locus erit illi suspicioni, voluisse fortassis ipsum officioso mēdacio nobis imponere. Preclarè Aristoteles, cum rogaretur, quid mentientes lucrarentur, respondisse fertur, vt neque verum dicentibus fides habeatur. Atqui si propter vnum mendacium semper in posterum ipsius auctoris fides periclitatur, quanto iustius illi fides in perpetuum deroganda est, qui etiam saluo officio se mentiri posse arbitratur? Hæc, inquam, & plura id genus incommoda huic errori opponere possem: verùm nolo hanc rem nunc pluribus agere; quandoquidem alia ratio suppetit, qua eos ab hoc præsidio queam deijcere. Si enim vitæ hominum tam sit necessaria religio, vt fictam aliquam satius sit habere, quàm nullam: quæro num sapientiæ studen-

Contra officiosum mendaciū.

ſtudendo quiſquam eò proficere poſsit, vt quicquid de numinis cultu & prouidentia vulgi ſermone iactatur, id totum fraude & mendacio ſubnixum eſſe perſentiſcat? Si negent tam ſublime arcanum vllo ſtudio deprehendi poſſe, ex al:óne igitur luto, quàm vulgus hominum, Epicurei formati, ac ſoli παρὰ λύδιον ἅρμα πεζοὶ βαίνοντες, tantam ſapientiam aſſecuti ſunt, vt quod alij quantumcunque anniterentur odorari non poſſent, ipſi ſint odorati? Quis tantam arrogantiam in hominibus nulla re, niſi ſtupore & vęcordia inſignibus ferat? Sin fatentur & alios, ſi ſapientiæ operam darent, poſſe hanc impoſturam deprehendere: conſultius igitur eſſet, à ſapientiæ ſtudio abſtinere, ne dum magnos in illa progreſſus facimus, tandem ſuboleat nobis, religiones Deorum à vafris hominibus confictas eſſe, & ita vindictæ cœleſtis timore ſoluti, non poſsimus in officio cõtineri. Sed quid quæſo abſurdius vnquam auditum eſt, quàm ſapientiæ tam malè cum virtutibus conuenire, vt qui alterum horum retinere cupit, alterius iacturam facere cogatur? Ita fit, vt cum ſemel malè ſubducta ratio eſt, quicquid poſtea tetigeris hulcus ſit. Vt igitur hanc argumentationem concludamus, cùm ſublato Dei timore, neque ad virtutum cultum, neque ad ciuilem vitam

tam

tam cōmoda subsidia homini à natura suppeditata sint, efficitur profectò, id quod initio huius disputationis dicebamus, naturam cum cætera omnia prouidentissimè instituerit in postremo actu, velut inertem pöëtam defecisse: imò dum hominem fabricatus est, animal quauis bestia deterius condidisse. Bestiæ enim licet insigni corporis robore polleant, nec sæuitia & immanitate hominibus inferiores sint, ideò tamen minus quam illi nocere possunt, quod ingenio & prudentia destituuntur, sine quibus inermes & euanidæ sunt omnes corporeæ vires. Homo verò, cum prudentia & consilio sit à natura instructus, si Dei scelerum vltoris metu liber in iniustitiam præcipitet, etiamsi viribus nō adeò magnis sit præditus, multò tamen facilius ad nocendum eas conuertere valebit. ὥσπερ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων, inquit Aristoteles, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης, χείριστον πάντων. χαλεποτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα. ὁ δ' ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ, οἷς ἐπὶ τἀναντία ἐστὶ χρῆσθαι μάλιστα. διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον. Id est, quemadmodum homo suam perfectionem assecutus animalium præstantissimum est, ita si à lege & iustitia recedat, omnium nequissimum euadet. Sæuissima enim est iniustitia

arma-

armata: homo verò prudentia & virtute velut armis à natura instruitur, quibus in contrarium vti potest, quam maximè. Sine virtute igitur inprimis ferus & impius, & ad libidinem ac voracitatem promptissimus fiet. Quod si credibile non sit, naturam, cuius tanta elucet cæteris in rebus solertia, in eo quod caput erat, non solum haud satis prouidam extitisse, verùm homini, quem ad virtutem genuerat, arma potius ad nequitiam suppeditâsse: Epicurei velut in ipsam rerum parentem naturam contumeliosi, omnium sibilis explodendi sunt, & Deus humani generis rector, & moderator agnoscendus.

Naturalem esse mentis notionem, quòd bonis beata malis misera vita debeatur.

CAPVT VII.

HActenus Dei prouidentiam ex ijs naturæ scintillis demonstrauimus, quæ virtutem omnibus alijs huius vitæ commodis præponendam esse dictant: nunc ex alia quadam hominis menti impressa notione, statim & sine vllis ambagibus prouidentiæ eiusdem res humanas subiacere, probabimus. Principio igitur sciamus oportet, omnibus à natura insitum esse, vt viros bonos, non solum laude & honore

dignos existiment, verumetiam mercede & remuneratione: contra verò, vt nefarios, nō solum dedecus & infamiam, sed etiam pœnas & cruciatus mereri arbitrentur. Cui rei argumento est, quòd ij, qui hominum quascunque societates legibus vitiorum expultricibus exornârunt, supplicium quoque de legum violatoribus sumendum esse decreuerint: idque non solum ne exemplo noceret impunita iniquitas; verum etiam ne crimini admisso iusta vindicta deesset. Intus enim in lumine suæ rationis perspiciebant æquum esse, vt qui ius & fas transgressi erant, quo suę libidini obsequerentur, ij quam voluptatem malè agendo cepissent, eam iustè patiendo amitterent. Quin & in bestijs, quæ non scriptis legibus, sed naturâ reguntur, quędam μνησικακία animaduerti potest, qua vicem reddere studet ijs, à quibus læsæ sunt, perinde ac si à natura hoc ius constitutum sit, vt mali malè pereant. Et homines si fortè aliàs tardiores erant ad credendum, res sublunares à Deo curari, cum insigniter scelesratum quempiam nullas in hac vita pœnas dare conspiciunt, facile adducuntur, vt tales diuino tribunali reseruari existiment. Itaque, vt est apud Laertium, cum Diogenes à perditissimo quodam nebulone interrogaretur, num DEOS esse crederet, respondit,

Bestiæ memores iniuriarum.

Diogenes cynicus.

dit, quomodo id non crederem, cum tibi Deos inimicos esse persuasum habeam? Scilicet indicare volebat, oportere aliquem gubernatorem mundo pręsidere, quod ęquum non esset, hominem tam nefarium, suæ improbitatis nunquam pœnas pendere. Atque hinc origenem sumpsit ea cõsuetudo, qua apud omnes gentes quisque illum à quo læsus est execrari, & diris deuouere solet; vitiosa & ab omnibus cordatis fugienda illa quidem: sed nihilominus prouidentiæ diuinæ non leue documentum existens, vt sequenti capite declarabimus.

Ex hoc naturali iudicio Deum humani generis curatorem demonstrari posse.

CAPVT VIII.

SI indelebiliter humanæ menti inscriptum est à natura, homines improbos ob sua flagitia reos esse pœnæ, debitores mortis fieri, miseram vitam mereri; si non quia leges humanæ statuunt pœnis vexandos esse maleficos, cuncti mortales id rectè fieri iudicant, sed potius, quia naturali suæ mentis iudicio quisque id consentaneum esse perspiciebat, idcirco legum sanctionibus firmatum est: existet profectò aliquis iudex, cui pœnas debent, & à quo supplicium commeriti sunt. Quod enim debitum

bitum aut quis reatus incurri poteſt, in vlla hominum ſocietate, niſi ſit aliquis eius præſes, qui ſuam maieſtatem peccando imminutam eſſe queratur, ac proptereà illius, q. deliquit ſupplicio eam inſtaurari velit? Porrò ſi quis nullas terrenorum principum leges, adhuc vſquam latas eſſe cogitet, cuius nam maieſtatem homines peccando lædere dicemus, niſi eius qui naturæ leges humanæ mẽti impreſsit, Dei videlicet optimi maximi? Qui ſi vel non exiſtat in totum, vel à mundi adminiſtratione ferietur, falſus eſſet ille tacitus naturæ ſenſus, quo ante omnes humanas leges homines nefarij pœnæ debitum contrahere intelliguntur; aut certè ſtultus & ſuperuacaneus. Quid enim ſtultius eſſet, quàm extare in natura leges, quibus facienda pariter & vitãda præſcribantur; impreſſam quoque ſibi hanc à natura notionem cunctos homines circunferre, qua legum naturæ violatores ſupplicia mereri declarentur; & neminem exiſtere, qui hæc ſupplicia inflicturus ſit, & pulcherrimas naturæ ſanctiones exequuturus? Itaque D. Paulus cap. 2. epiſtolæ ad Romanos, ex eo quod facinoroſi homines ſupplicio digni ab omnibus iudicantur, eoſdem Romanos negat eam poſſe ſuis flagitijs excuſationem prætexere, quod ipſis non perinde atque Iudæis Dei

Paulinum argumentum.

ira

ira in peccatores denuntiata esset. Cùm enim ipsi cæteras nationes imperio suo regentes, si quos in illis sceleratos inuenissent, iustis supplicijs afficerent, ipsos colligere debuisse, quanquam nullis hominibus obnoxij essent, Dei tamen omnium iudicis tribunali reseruari. Inexcusabilis, inquit, es ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas. Existimas autem hoc, qui iudicas eos, qui talia agunt (qualia supra enumerauerat) & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Hactenus D. Paulus. Rursum, si vanum esse nequit, quod ante omnem ratiocinationem omnes velut à natura impulsi sapiunt, vanissimum autem esset malè cuiquam precari, si nemo sit, qui eam precationem exaudire, & reipsa complere posſit, quia ex anticipata quadam mẽtis notione, homines vindictam suis hostibus imprecantur, aliquod esse numen tam vbique præsens sequitur, vt nullæ ad ipsum preces in cassum dirigantur.

Idem ex terroribus, quibus mens sibi malè conscia percellitur, doceri.

CAPVT IX.



MVLTO luculentius idem ex eo demonstrari poteſt, quod dum quicquam flagitij animus humanus me-

ditatur, maximo nonnunquam terrore concuti soleat, & non minus angatur, quàm si fulmen ipsius ceruicibus impenderet: postea verò quam facinus admissum est, fit sæpenumero vt diurnis & nocturnis δείμασιν exagitatus, nunquam secura quiete perfrui posit. Hæc ita vti diximus euenire, varia hominum sapientum dicta, qui mores ac vitam mortalium descripserunt, variæ quoque historiæ ac rerum euentus comprobant. Semper præsumit sæua, inquit auctor libri sapientiæ, perturbata conscientia. Et alius, Sonitus, inquit, terroris in auribus impij, & cum fuerit pax ipse semper insidias suspicatur. Quibus Iuuenalis suffragatur dicens:

Sap. 17.

Iob. 15.

Cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo sæuior illis
Quas & Ceditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Nunc vt ad historias veniamus, primùm ORESTES, ob conscientiam interfectæ matris Clytemnestræ, velut quibusdam furijs incitatus fuisse refertur. Quam rem si quis velut fabulosam propter nimiam vetustatem reiecerit, non laboro, modo id obti-

Orestes.

ficam, quod ad imitationem eorum, quę facinorosis hominibus accidere solent, confi-cta sit. Pręter hunc Pausanię Lacedęmoniorum regi spectrum puellæ, quam ad se stupri causa noctu accersitã interfecerat, dum ea in tenebris strepitum excitante hostem aduenire suspicatur, semper ob oculos versatum esse memoratur, ac talibus ipsum verbis affari visum: βάινε δίκης ἄσσον, μάλα τοὶ κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις. Bessus quidam parricida, dum hirundinis cuiusdam vti fit garrientis, nidum hasta deturbaret, ab astantibus quare id faceret rogatus, respondit, se ab hirundinibus parricidij accusari. Hinc facinoris istius occultè admissi orta suspicione, iudici defertur: à quo captus & quæstionibus subiectus, se parricidam confitetur, ac non ita multò pòst dignas tanto crimine pœnas luit. Tanta scilicet in hoc homine fuit conscientiæ vis, vt quascunque etiam brutorum animantium voces exaudiret, eas sui criminationes interpretaretur. Auctor tum hui9, tum pręcedẽtis historię est Plutarchus libello quem περὶ τῶν βραδέως τιμωρουμένων inscripsit. Ac si quis iudices & lictores consuleret, quibus cum facinorosis negotium est, ex illis intelligeret, sæpissimè reos eiusmodi timentis & perturbati animi indicijs prodi. Auditurus esset nonnunquam ijs, si-

Pausanias.

Bessus.

mulatque apprehenduntur, sanguinem præ metu e naribus erumpere. Verùm quia fortasse aliqui hunc timorem ex contemplatione pœnarum, quę ab huius seculi iudicibus impêdét, ꝓficisci arbitrabûtur, etiã monarcharum exempla ꝓferri possunt, q̃ ob cõscientiam cędis innocentum tantis terroribus discruciati fuere, vt ex earum vehemẽtia vitam cum morte cõmutârint. Theodoricus Ostrogotthorum rex, cum Symmachum & Boethium patritios Romanos, tanquam patriæ libertatis vindices per summum scelus occidisset, tanto conscientiæ metu torquebatur, vt vbique ei horum virorum species ob oculos versarentur; vsque adeò vt, cum piscis ei caput appositum esset, imaginaretur illud Symmachi caput esse, quod ipsum apprehenso mordicus inferiori labro, minaciter intueretur. Itaque ex tam terribili viso in morbum incidens, cædi patritiorum innocentium non diu superfuit. Quodsi quis hunc metum non naturæ tribuendum esse contendat, verùm spontaneæ illi persuasioni de pœnis impiorum in futuro seculo, qua ab ineunte ætate imbutus erat Theodoricus, quid de illis dicturus est, qui omnium religionum & numinum contemtores cum essent, suorum scelerum recordatione, in grauissimos terrores inciderunt? Quo in genere

Theodoricus ostrogottus.

Consule procopiũ de rebus Gothicis.

nere admodum memorabilia ſunt, quæ de Caio Caligula Suetonius ſcribit. Is enim quanquam atheus fuerit; ad minima tamen tonitrua conniuere, ad maiora verò è ſtrato ſe proripere, & ſub lectum condere ſolebat. Peregrinatione Sicilienſi irriſis multorum locorum miraculis, repentè Meſſana noctú profugit, Aetnæi verticis fumo ac murmure pauefactus. Adhæc quis vnquam magis Deum contemſit, quàm Epicurus? Et tamen is nulli non ſcelerato etiam inter tuta timorem eſſe fatetur. Teſtis Seneca epiſtola 97. ſic de Epicuro loquens. Hoc argumétum Epicuri, eſt naturâ à ſcelere abhorrere, quòd nulli etiam non inter tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Ideò nunquam fides fit latendi ipſis latentibus, quia arguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Hactenus Seneca. Cùm igitur tam in religioſis, quàm irreligioſis, tam monarchis, quàm ſubditis, malam conſcientiam timor comitetur; is ſi vanus non ſit, aliquid eſt profectò, cur ſcelerati ipſius naturæ admonitu timeant. Et quid hoc aliud erit, quam ſupplicium, quod à Deo iuſto iudice, ipſis niſi reſipiſcant infligetur?

Caius Caligula.

Epicurus fatetur malos omnia tuta timere.

Idem liquere ex fiducia, quam bona conſcientia gignit.

CAPVT X.

DIximus ipsam naturam hominis malè sibi consciam se damnare, & in latebris suæ mentis sententia contra se lata Dei futurum iudicium præuertere: idque ex facinorosorum hominum notissimis illis terroribus ita se habere demonstrauimus. Nunc e diuerso, quoniam & inde prouidentia Dei erga iustos non mediocriter illustrabitur, bonam spem & fiduciam ex vitæ benè actæ conscientia promanare ostendamus. Vt igitur ab Ethnicis incipiamus, quanquam illi per errorem se innocentes crederent, ea tamen qualiscunque innocentiæ persuasio, quantum momenti habuerit ad implendos bona spe & hilaritate eorum animos, sæpè tum dictis, tum factis declarârunt. Horatius de viro bono loqués, si fractus, inquit, illabatur orbis, impauidum feriét, ferient ruinæ. Et memoratu digna est illa Carneadis comparatio, quam Plutarchus libello de animi tranquillitate refert. Aiebat is, quemadmodum pyxides aromaticæ, cum euacuatæ fuerint, gratum odorem multò post tempore seruant, ita in animo viri sapientis res benè gestas nunquam non iucundam & recentem sui memoriam relinquere, vnde hilaritas irrigatur & efflorescat.

So-

Socratem Atheniensem Plinius summam animi tranquillitatem vultus habitu semper eodem præ se tulisse commemorat; vsque adeò, vt neq; dum ad mortem abduceretur, vllus in eo metus aut trepidatio deprehendi potuerit. Cumqúe eum necessariorum nonnulli cum lacrumis ad carcerem vsque prosequerentur, ac se id molestè ferre dicerent, quod ipsi innocenti moriendum esset, sciscitatus est ex illis, num eum iustè interfici mallent: innuens, non mediocri solatio sibi suam innocētiam esse. Cicero cùm in illa tempora incidisset, quibus tyrannide Iulij Cæsaris respub. opprimebatur, multas sibi causas esse dicebat, cur mortem optaret: verùm contra omnia mala se vnicum solatium habere, quòd culpa vacaret. Et in epistola ad Octauium, quo εὐθυσιασμῷ & qua fiducia ait se ad Curios & Decios iturū. &, apud illos de Octauij improbitate quęsturū esse? Multò magis ij, q nō sua tantū imaginatione, sed reuera innocētes fuere, cum improborū calumnijs appeterētur, ab iniquis eorum iudicijs ad tribunal Dei respexere, & eo solatio, se cōtra virulētas hominum linguas munierūt. Exēplo sit nobis D. Paulus q cum apud Festū iudicem vinctus causam diceret, mira quadam cōfidētia & alacritate in hæc verba ꝓrupit: Ego studeo sine offendiculo cōsciētiam

Socrates semper eodem vultu fuit.

Xenophō in apologia.

Cicero epistola ad Marium. li. 7. epist.

tiam habere ad DEVM & ad homines semper. D. Basilius cum à pneumatomachis ob confessionem trium personarum, in vna diuinitate velut καινοτόμος seu fidei innouator accusaretur, bona sua conscientia fretus, ait se cum illa confessione ad Dominum migrare velle. Plures autem huius rei testes proferre nihil attinet; cum nemo mortalium sit, qui non vim conscientiæ siue ob scelera terrentis, siue ob res præclarè gestas, quadam hilaritate demulcentis, sit in seipso expertus. Sed nihil ageret natura hominis vel metu deijciens, vel fiducia erigens, si nihil ex virtute boni, & ex improbitate mali in futurum à Deo expectari deberet. Atqui naturam nihil frustra agere, apud omnes in confesso est. Adeò igitur nostri cura Deus tangitur, vt vnicuique etiam pro meritis pœnas vel præmia distributurus sit.

Quod sublata diuina prouidentia nemo improbus esse, aut peccare dicendus sit.

CAPVT XI.


Actenus naturam triplici dignam reprehésione ostendimus, si ad res humanas DEI prouidentia non pertingit: primum quòd hominem neque huius vitæ bonis quietè perfrui sinat, neque alia

præ-

præstantiora, quibus horum iactura pense-tur, substituat: secundò quòd eum talem genuerit, vt sine Dei metu virtutis nullo modo capax esse videatur: tertiò quòd non aliter, atque si DEVS scelerum vindex futurus expectaretur, non solum in genere peccatorum comitem debere esse miseriam decernat, verùm etiam causa sit cuique, vt post admissum facinus se ipsum damnare, & simulatque digitus increpuit, metu expallescere cogatur. Sed nunc maius opus moueo. Ostendere enim conabor, nullam bonorum & malorum operum distinctionem subsistere posse, si non Dei cura res humanæ administrantur, virtutem nil esse præter nudum & inane nomen, vnam viuendi regulam cuique suam libidinem fore. Vt igitur hinc incipiamus, nemo peccare vel flagitium designare dicitur, cum re quapiam pro suo libitu vtitur, cuius est plenum penes ipsum dominiũ. Quomodo enim posset dici, malus aut flagitiosus, qui quod licitum est facit? Cur nõ autem liceat cuique re sua vti, qua ex parte sua est? Atqui si nullum numen mundo pręsidet, quod iure creationis & gubernationis sibi generis humani dominatum vendicet, corpus & singula membra quisque nostrum ita in sua potestate habet, vt nulli non vsui pro sua libidine illa queat

accom-

accommodare. Neque eos qui Psalmo 9. effræni linguæ licentia se in quosuis incurrere velle dicebant, eo quod labia sua à seipsis haberent, nec vllum dominum aut superiorem agnoscerent, alia ratione Dauid sibi compescendos existimauit, quàm DEI omnium Domini ipsis iudicia proponendo. D. Paulus immoderata seruitute non esse ab heris præmenda mancipia demonstraturus, nihil validius afferre potuit, quàm quòd cõmunem vtrique dominum in cœlis haberent, qui certos terminos herili potestati præfixisset. Rursus, omnium legum obligatio à legislatoris in eos, quibus feruntur, potestate dependet. imò neque nomen legis illa præcepta merentur, quæ sine imperandi iure cuiquam iniungũtur. Lex enim à ligando nomen accepit. Si ergo nullus est humani generis rector & dominus, nullisquoque legibus homines obstricti erunt. Cuique igitur quicquid lubet, licebit. Nihil enim illicitum, nisi idem & lege prohibitum sit. Habeat sibi impressas quisque honestorum & inhonestorum regulas, dictet natura quid agendum, quidué vitandum sit: interim homo quia nulli se maiori subijcitur, quod volet, facturus est, & eodem loco naturæ dictata habiturus, quo leges Platonis, aut alterius cuiusquam Philosophi, qui imaginari-

am rempub.construxit. Cùm ergo his gradibus à negatione diuinæ prouidentiæ ad omnium virtutum & totius moralis Philosophiæ ruinam perueniatur; adhuc qui Dei curam cœlo definiunt, se non dico Philosophos, verum satis sanos profiteri audebunt?

Sed dicent fortè ijdem, peccare hominem, cum non humaniter viuit, tunc autem videri ipsum humanitatis desertorem, cum non id facit quod ratio imperat, sed quod appetitus, quem cum brutis communem habet. Itaque obligationem secundum rationis præscriptum viuendi hominibus ex eo prouenire, quod homines, hoc est ratione præditi sunt; quemadmodum harmoniæ musicæ leges non aliunde, quàm ex ipsa artis natura proficiscuntur, quas tamen quisquis violat, malus Musicus dicitur. Quid igitur obstabit, quo minus & is malus homo dicatur, qui naturæ, per quam homo à brutis discernitur, leges violat? Ad hæc nemo qui aliquem DEVM confitetur, dubitat, quin idem peccaturus sit, si limites suæ sapientiæ & iustitiæ trāsgrederetur: Atqui Deo nemo superior: fallitur ergo quisquis obligationem parendi, sine domini præcipientis, auctoritate negat posse consistere. Sed facilis est ad hæc responsio. Obiectio.

Non enim nego, quin rationẽ homo sua- Solutio.

rum

rum actionum ducem sequi debeat, non id ago, vt sublata DEI prouidentia ostendam, fortunæ temeritati hominum vitam committendam esse; hoc est ipsum, hominem ex homine tollendum: sed cum nonnulla prima fronte videantur esse rationi consentanea, quæ cum diligentius explorata fuerint, ex diametro cum ratione pugnare comperiuntur, in eo rerum genere & morales quasdam virtutes reponendas esse censeo; si non Dei consilio mundus administratur. Nonne Epicurei cum honestatem per se amandam esse negabant, cum virtutem nihil aliud quam œconomiam quandam in voluptate, vel amplectenda, vel tempore & loco parum oportunis contemnenda esse dicerent, rationibus rem gerebant? Agebant sanè; & quidem tam validis, vt sine retributione futuræ vitæ dilui non posśint. Si ratio suadet, vt neglectis proprijs commodis iustitiam secter, rursum dictat eadem ratio, æquum non esse, vt sim in alios beneuolétior quam in meipsum; quocirca si proximi ius cum mea pernicie coniunctum est, salutis meæ potius rationem habebo, quam iuris illius. Si ratio imperat nuntium remitti carnis voluptatibus; plausibile & hoc est ab eadem ratione profectum:

τέρπεο μοι φίλε θυμὲ ταχ' ἄν τινὲς ἄλλοι ἔσοιντο Thcgnis.
ἄνδρες ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι,

Id eſt, Voluptate perfruere anime mi, breui alij homines victuri ſunt, ego verò terra nigra fiam. Fruſtra hominis eximiam quandam dignitatem præ brutis animantibus ſomniamus, ſi idem ortus, idemque interitus eſt vtrorumque. Fruſtra ſi ex terra toti conſtamus, in eamque breui tempore recidemus, bona ſpiritualia quærimus, & rebus, vnde nulla in corpus redundat vtilitas inhiamus; cum multò conſultius eſſet à mortalibus mortalia curari, à terrenis terrena, à carnalibus ea, quæ carni ſuauiter blandiuntur. Liquet ex his non defuturas ijs rationes, qui poſito mundum à Deo non gubernari, naturale rationis dictamen contemnendum cenſerent, ac proinde noſtrum epicherema inconcuſſum manet, quo ratiocinabamur, vna cum diuina prouidentia diſcrimen bonarum & malarum actionum, de medio auferri. Aut ſi tali rerum ſtatu vllum peccatum ab homine admitti poterit, peccabunt ij, qui vel in virtutis cultu longius eueuntur, quam fert propriæ vtilitatis ipſorum ratio: vel voluptati intemperantius indulgent, quam ijs conueniebat, qui ad diuturnam voluptatum affluentiam anhelant. Perfrica igitur frontem ö Epicuree, & eum

felicitatem appellare cõsueuimus, siue Thesei cuiusdam se sapientioris & potentioris auxilio adipisci queat. Primum enim beatus esse nequit, qui mentem crassa errorum caligine obtenebratam habet; qui neque de fine quo cursum dirigere, neque de itinere quo ad finem peruenitur quicquam certi statuere potest. Quis verò suæ cæcitatis manticam adeò procul in tergum reiecit, vt non hîc mallet alium longè sapientiorem audire, quàm ipsum se tam arduæ rei magistrum profiteri? Sed etsi fingamus aliquem fuisse hominem, qui cæteros ingenio præcellens, &, quòd Lucretius de Epicuro dixit, omnia minora lumina veluti Sol exortus restinguens, suo Marte quodnam sit hominis supremum bonum animaduertit; quia tamen is vulgo hominum persuadere non potuit, vt se ad felicitatem duce & monstratore vterentur, adhuc fixum manebit quod antea dicebamus. Si enim tanta sit hominum cęcitas, vt neque tum viderę potuerint, quem vitæ cursum tenere debebant, cum non deesset, qui velut digito ipsis totius humanæ vitæ scopum demonstraret, ineuitabili necessitate consequitur, sublimiori quodam ipsis doctore opus esse, qui etiam mentis tenebras affuso cœlestis gratiæ lumine dispellat, ne tota humana species fine suo frustre-

tur. Is vero quis alius esse poterit quàm Deus? Porrò neminem ex ijs, qui se proprio ingenio, quæ sit hominis suprema felicitas inuenisse iactitârunt, cæteris mortalibus (præter admodum paucos, idq; breui tempore) persuasisse, veram se adferre de felicitate sententiam, facile erit ex historijs declarare.

Socrates. Vt enim de Socrate incipiamus, qui primus dicitur à cœlo & naturæ contemplatione Philosophiam in domos deduxisse, & de finibus bonorum & malorum differere cœpisse, is quomodo alijs se quicquam solidi proferre persuasisset, cum neque sibi ipsi persuaserit, vtpote qui id vnum se scire dicebat, quòd nihil sciret? Eius discipulus

Plato. Plato, tam absurdas habuit de hominis fine cogitationes, tamque mirabiles animarum ad corpus remigrationes confinxit, vt diu eius opinio residere nequiuerit. Proposuit & Cynica secta suam de summo hominis bono sententiam, verùm quam sine vulgo riuali amauit. Itaque Diogenes dictitare solebat esse se laudatum canem, sed paucos secum ad venationem exire velle. Denique

Aristoteles. tam hi, quam Aristoteles de beatitudine in totum nihil dixerunt, verùm intra eius boni inquisitionem, quod in hac vita præstantissimum est, constiterunt. Quare cum potissima de hominis fine quæstio sit, hîcne ad

eum

eum perueniri posſit, an in futurum expectari debeat; qui eam ne attigerunt quidem, ſatis indicârunt ſe nihil de vera felicitate comperti habere, ac idcirco non ſunt ijs Philoſophis annumerandi, qui ad eam ſe duces profeſsi ſunt.

Quòd verò ad Zenonem & Epicurum attinet, horum ille tam locupletem facit hominem, vt nemo ſit tãtus opum humanarum admirator, quin eum mentiri intelligat: alter verò ad tam brutalem felicitatem velut claſsico dato inuitat, vt quadam erga ſuum genus reuerentia commoti homines, nihil probroſius ducant, quàm Epicuri diſcipuli & eſſe, & vocari. Cum igitur cognitum eſſet Græcorum Philoſophos, qui initiò magnam de ſe expectationem concitârant, promittere ampliora, quam præstarent, multis iam ſeculis de humano ingenio quadam concepta deſperatione, eæ ſolum de felicitate perſuaſiones viguerunt, quæ diuina niti auctoritate ſunt viſæ. Quarum ſi nulla vera eſt, nec ſe eo demittit cœleſte numen, vt homini, in vaſtiſsimo pelago & denſiſsimis tenebris fluctuanti, faculam accendat, quàm reſpiciẽs ad optatum finem perducatur, longè profectò peius cum homine quàm cum brutis agetur. Horum enim etſi ſingula fine ad quem à natura deſtinantur

Zeno.
Epicurus.

excidere possunt, nunquam tamen integræ species sua naturali perfectione multantur. Atqui si Deus afflictis hominum rebus non consulit, cum tanta sit eorum ad seipsos iuuandos imbecillitas, vt hactenus nemo vitæ humanæ metam, quæ omnium consiliorum & actionũ principium esse debebat, propria inuestigatione sit assecutus: efficitur vt totum genus humanum ἔκτρωμα seu abortus quidam naturæ censendum sit. Sunt alia multò plura, quorum etsi ad beatè viuendum cognitio necessaria est, nihil tamen liquidi de illis humanum ingenium cœlesti doctrina destitutum pronũtiare potest; verbi causa, quid de illis spiritibus statuendum sit, qui spectris nocturnis, magorum, idolorumque mirandis operibus adeò per vniuersum orbem clari & celebres effecti sunt, vt ab insania parum abesse videantur, qui negant esse δαίμονας οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον. Hi enim cum diuinos honores olim importunissimè flagitarent, nec se aliquando nisi humanis hostijs placari sinerẽt, in ancipiti periculo homines versabantur. Nam neque tutum erat eos extrema omnia minitantes aspernari, neque vicissim credibile videbatur, Deorum loco habẽdos esse, qui innocentium cæde oblectabantur. Quis igitur nisi homine maior tam perplexa dubita-

bitatione sollicitas mentes exoluere, & occultissimam illorum dæmonum naturam in lucem proferre potuisset? Sed quantopere altiori quodam lumine, quàm sit naturę, humanum genus indigeat, alio loco fusius explicabitur.

Quod visibilis mundi pulchritudo testetur, hominum vitam Deo curæ esse.

CAPVT XIII.



PVD omnes sapientiæ professores certissimum habetur, naturalia esse pręstantiora ijs, quę arte & industria humana elaborantur. Cùm igitur hoc vniuersum sit humani generis quædam veluti respub. multò omnibus suis numeris absolutius erit, quàm eę quę ad vniuersi imitationem ab hominibus constitutæ sunt. Idque magis perspicietur, si quis visibilē mundi pulchritudinem, cum ciuitatis ornatu visibili, purpura iuxta purpuram, vt dici solet, locata, conferat. Quæ namque ædium species, quis platearum nitor, quæ hortorum amœnitas in vlla ciuitate humana, cum solis ac siderum blando fulgore comparari potest? Quæ saxorum durities, quod columnarum robur, cum cœli adamantina firmitate componi? Sed neque si inuisibilium or-

namentorum comparatio instituatur, ulli reipub. humanæ hoc vniuersum cedet. Legum enim naturæ tanta æquitas existit, vt ad illas, tanquam lydium lapidem, cæteræ, quas humana adiecit industria, examinentur. Quæ cum ita sint, haud credibile est, ea ex parte humanas politias mundi republica præstare, quòd, cum nulla sit tam abiecta ciuitatula, quin iudicium in legum violatores exerceat; in vniuerso nullus sit, qui vel probos digna mercede remuneret, vel improbis merita supplicia rependat.

Hoc Solonem dixisse testatur Cicero epistola 15 ad Brutum.

Solon dicebat pœnis & præmijs respublicas contineri; quare si eorum in mundi repub. ratio non habetur, quæ hæc fuit tam præpostera diligentia, vt vniuersi externa omnia quam splendidissima effecta sint, eorum verò, quę mente comprehenduntur, id quod pręcipuum erat, omnino neglectum? Si qua in terris ciuitas extare diceretur, cuius quidem visenda esset pulchritudo ea, quę sub aspectum cadit, cętera verò nihil differret à ferarū latibulo; nemo dubitaret tantundem huic narrationi tribuendum esse fidei, quantum veris historijs Luciani: atqui talem ciuitatem expressissimè referret hoc vniuersum, si improborum scelera nunquam Deus vindicaturus esset. Vidi, inquit Salomon, calumnias

quæ

quæ ſub Sole geruntur, lacrumas innocentum, & neminem conſolatorem, & laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & vtroque feliciorem iudicaui, qui nondum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole fiunt. Quiſquis hiſtorias & vetuſtatis monumēta euoluit, videbit omnibus ſeculis nil aliud quam pelagus quoddam fuiſſe hunc mundum, in quo homines in morem piſcium, imbecilliores à fortioribus deuorantur. Quid enim annalibus proditum eſt præter bella, cædes, incendia, vaſtitates, quas homines hominibus intulerunt? Quoties accidit, vt vna aliqua gēs longiſsimè remotas prouincias velut flamma vorax depopulata ſit? Quanta ſæuitia Perſæ & Macedones per orientem, Romani per totum penè orbem, Turcæ ac Tartari per Europæ, Aſiæque magnam partem graſſati, incolas harum regionem oppreſſerunt, ac ſub iugum duriſsimum redegerunt? Vnius Iulij Cæſaris ductu centies millena milia & centum nonaginta duo milia hominum interemta eſſe Plinius refert, exceptis ijs, quos è proprijs ciuibus, vt ipſe ſolus oppreſſa repub. rerum potiretur, innumerabiles neci dedit. Quæ rerum humanarum confuſio, ſi æternis retro ſeculis durauit, & in poſterum perpetuò manſura eſt, nec aliquod DEI iudicium expectatur, quod iniuſtitia

Eccleſ. c. 4.

Hiſtoria ſpeculum humanæ crudelitatis.

deformitatem, quo decursu huius temporis mundus dehonestatur, vindictæ pulchritudine instauret, perenni illo Heracliti fletu hic mundi status deplangendus esset, nec κόσμος ab ornatu dici deberet, sed à tanta ordinis perturbatione teterrimum quoddam barathrum, & cœcum chaos iustius appellaretur. Sed absit, vt de re longè diuinissima talis animum nostrum cogitatio subeat: ve ù n potius, quomodo Socrates cum audisset Heracliti quendam librum legi, rogatus quid de illo sentiret, respondit, ea quæ intellexisset videri sibi præclara, & propterea conijcere se idem de cæteris quæ non intellexisset iudicandum esse; quomodo D. Augustinus quia perspiciebat sacras literas, qua parte ab ipso intelligebantur, plenas esse propheticæ & apostolicę maiestatis, & idcirco nō dubitabat, quin tales essent, vbi abdita erat earum intelligentia; quomodo Philosophi, cum vident pleraque naturæ opera ratione nō carere, haud ambigūt, quin & ea, quorum ratio in occulto latet, minimè superuacanea sint; ita quoque nos admirabili illa mundi pulchritudine, quam oculis intuemur, commoti, non dubitabimus, quin haud ei desit intelligibilis ille decor, qui ex eo, quòd iniustitia culpæ per iustitiam pœnæ compensatur, exurgit. Nec audiendi

Socrates.

Obiectio.

sunt,

ſunt, qui ne cogantur Deum iudicem agnoſcere, obijciunt nobis pœnam ſibi ipſi eſſe omnem inordinatum animum, idque ſufficere ad mundi, qui peccando deformatur, inſtaurationem. Primum enim non in omnibus hoc vindictæ genus locum habet. Siquidem, teſte Salomone, ſunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi facta iuſtorum habeant: ſunt qui glorientur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Quorum enim mẽs vitiorum longo vſu obtenebrata eſt, ij nec ſui peccati magnitudinem ęſtimare, nec quãto ſe bono priuent ſatis intelligere queunt. Neque Philoſophis ignota fuit, ea malorum diſtinctio. Apud hos enim alij ἀκρατεῖς, hoc eſt, incontinentes, alij ἀκόλαστοι, hoc eſt, intemperantes dicuntur; in quorum prioribus natura nondum adeò deprauata eſt, quin adhuc ipſis inter peccandum obmurmuret, ac perpetrato crimine pudorem ingerat: in cæteris verò, quos intemperantes vocari diximus, rationis lumen diuturna peccandi conſuetudine tantopere offuſcatum eſt, vt ſine vllo pudore ſuis cupiditatibus fræna laxent. Eiuſmodi volunt fuiſſe illum, qui dicebat.

Solutio. Eccleſi. 8. Prouerb 2.

Differunt incontinentes ab intemperantibus.

Plutarch. de virtute morali.

τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς ἀφροδίτης,
τεθναίην ὅτε μοι οὐκ ἔτι ταῦτα μέλει.

Id eſt, Quæ vita, aut quę voluptas exiſtit

ſine

sine aurea Venere? Moriar quādo mihi hæc non amplius curæ sunt. Hoc igitur hominum genus, quomodo credibile est seipsos peccando punire, cum tali pœna nihil ipsis posſit gratius accidere? Quin neque illi, qui cupiditatibus victi obstrepente ratione se dant flagitijs, rectè existimantur sat pœnarum dare, si pudore in ipsa flagitij perpetratione turbentur, post admissum verò nefas pœnitentia crucientur. Nam varijs negotiorum turbis distracta eorum mens, rarò illam carnificinam in seipsam exercet, idque non tam atrociter, quàm sceleris magnitudo meretur. Mens enim hominis animalis & sensuum mancipis, virtutis pulchritudinem & vitiorum deformitatem valdè tenuiter cognitam habet. Itaque huius anthypophoræ securi huius seculi prætores & iudices, pœnam, quæ sensus offendit, sceleratis adhibendam esse censent; vt eo modo quam iniustè agendo voluptatem ceperant, eam iustò patiendo amittant. Atque hîc moralium argumētorum & totius secundi libri finis esto.

LIBER

IN LIBRVM TERTIVM
DE PROVIDENTIA DEI
PRÆFATIO.



VO argumentorum genera, quibus Dei prouidentia mundum administrari docetur executi sumus, ijsq; singulis singulos libros attribuimus, quòd neque inter se, neque cum sequentibus cohærerent. Nunc deinceps, quia nonnunquam citius genus argumentorum mutabitur, nonnũquam diutius in eodem genere versandũ erit, libros non amplius probationum generibus distinguemus, sed symmetriæ cuiusdam ipsorum inter se rationem habebimus. De methodo verò quam sequemur beneuole lector, hæc paucis accipe. Primum locum dabimus ijs argumentis, quæ ex totius vniuersi quibusdam affectionibus sumtæ, demonstrant nihil esse, quod Dei curam subterfugiat. Hinc ea subiungemus, quæ partem aliquam vniuersi diuinæ prouidentiæ subiectam esse ostendent, sequentur mox quædam experimenta, quibus tandem consensum sapientum & totius humani generis pro argumentorum coronide adijciemus.

Vnum

Vnum quendam esse totius vniuersi finem.

CAPVT PRIMVM.

1 
ESSE quoddam commune totius vniuersi bonum & finem, primùm ex eo apparet, quod nonnullorum corporum sint diuersæ, imò contrariæ motiones. Aër nonnunquam in profundissimas terræ latebras, contra insitam à natura leuitatem sponté se insinuat, aqua subinde sui ponderis oblita sursum nititur, sidera errantia non solum proprio motu ab occidente in orientem feruntur, verùm etiam primo mobili in contrarium trahenti, haud inuita obtemperant Sed fieri non potest, vt vnum idemque corpus vi suæ naturæ propria diuersis motibus incitetur: vnde igitur ista motuum pugnantia in ipsis proficiscitur? An dicemus vnum esse naturalem, reliquũ violẽtum? At non facile erit explicatu, quid sit, quod aquam in vase per vim retineat, cum vas supernè nullum spiraculum habet. Multò minus verisimile est, alteram cœlorum reuolutionem naturæ repugnare, cum nihil sit à vera Philosophia alienius, quàm equabilissimam illorum corporum conuersionem, violentam dicere. Nihil igitur hîc aliud dicendum restat, quam vniuscuiusque rei naturalis duplicem esse propensionem,

Duplex naturarum propẽsio.

qua-

quarum vna velut particulares naturæ, in proprium bonum feruntur, altera velut vniuersi quotæcunque portiones ad communem eius salutem anhelant. Atque hinc fieri, vt cum vtrunque simul assequi non valent, proprio bono deserto commune bonum consectuntur. Idcircò verbi causa, aquam nonnunquam in sublimi suspensam manere, ne si efflueret, cum in eius locum aër succedere nequit, hiatus nullo corpore plenus in mũdo nasceretur. Quòd tanquam grande incommodum natura refugit; quia vt à continuitate & cohærentia membrorum animalis vita & incolumitas pendet, ita in partium vniuersi continuata serie salus & integritas ipsius constituta est. Adhæc vis generandæ sobolis, amor posteritatis, στοργὴ quo etiam truculentissimas feras natura suos fœtus complecti cogit, omnia generandæ ac educandæ prolis instrumenta non ad priuatam vllius vtilitatem comparata sunt; verùm quia rerum sublunarium natura fragilior erat, quem vt sempiterna posset existere, quo perpetuitati vniuersi consuleretur, generatio instituta est. Qua de re memorabilis extat apud Aristotelem libro 2. de generatione sententia: Quia in omnibus, inquit, quod melius est naturam appetere dicimus, melius verò est esse quàm non esse, cum id

Causa cur natura vacuũ fugit.

II.

id propter absentiam à principio non sit omnibus concessum, τῷ λειπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεός, ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν, id est, alio modo, qui reliquus erat, Deus vniuersum absoluit, perennem faciens ge-
III. nerationem. Præterea nisi sit aliquod totius mundi cõmune bonum, quod singulæ partes respiciant, non esset vnum hoc vniuersum, quemadmodum neque eæ societates vnam rempub. constituunt, quæ ita seorsum sua commoda & incommoda sibi habent, vt vna incolumi manente, altera pessum ire queat. Nil ergo differet ab Hesiodi chao, aut vulgatissima illa Anaxagoræ miscella, de qua librum scripsit, quem his verbis exorditur. ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα. Sed tam absurdam de re longè pulcherrima sententiam, neque ipsius Epicuri animo vnquam sedisse opinor. Falsa quidem, sed probabilior fuit illorum sententia, qui cum viderent multò difficilius esse mundi continuitatem, quàm animalis cuiusquam soluere; cœlum in vniuerso rationem cordis habere; ab ipso non
Platonici. aliter vitam in omnes partes interuentu aëris dimanare, quam in animalibus per tenuem illum spiritum, qui in arterijs continetur, vitalis fotus ad omnia membra diffunditur; denique nihil propemodum in animantis corpore inueniri, quin aliquid ἀντίστροφον

στρόφον seu altera ex parte respondens in rerum vniuersitate conspiciatur; animal esse hunc mundum existimarunt: nedum tanta fuerit vllius cordati Philosophi temeritas, vt vnitatem vniuersi negare non sit veritus. Insuper libro primo, cum de mūdi opificio tractaremus, multis hoc egimus, vt hominem esse totius visibilis mundi scopum demonstraremus. Quę tota disputatio πρὸ ὁδοῦ, nobis ad præsentem materiam existet. Nam si in hominem cæteræ omnes naturæ collineant, commune igitur earum bonum erit hominis ministerio mancipari. Omitto nūc quod nonnulli dixerunt, hominis quidem causa pleraque animantia condita esse; ea verò, à quibus nulla ad hominem redundat vtilitas, velut emblemata ad complendum totius vniuersi ornatum ad cætera accessisse; quomodo picturarum extremitates florum & herbarum iconibus exornantur. Quanquam enim hinc non dúbia consecutione inferri posit, esse quoddam totius mundi commune bonum; quia tamen video quosdam eruditos viros huic opinioni reclamare, rationibus parum certis rem certissimam obscurare potius, quàm illustrare nolo.

IIII. Eugubinus. Iulius Scaliger.

Ex hac totius vniuersi in commune bonum propensione. Dei prouidentiam confirmari.

CAPVT II.



ANC porrò totius mundi in eundem finem ac scopum pronitatem diuinæ prouidentiæ, haud leue documentum esse, hoc modo ostenditur. Quoniam fieri non potest, vt naturæ tot ac tam diuersæ in vnum commune bonum casu & inconsulta temeritate propendeant, aliquid sit necesse est, à quo in ipsum dirigantur: idque vel est vis quædam cunctis rebus ex æquo inhærens, vel absoluta, & per se subsistens. Primum horum dici non potest. Quis enim nescit, ea quæ solum contigua sunt, suisque finibus sigillatim circunscripta, non posse vllam formam in communi posside-re? Vnum definiunt Philosophi, quòd est in seipso diuisionis expers, & à quolibet alio diuisum & separatum: quare ea forma, quæ tot in partes discerpta esset, quot sunt res in vniuerso suis proprijs limitibus definitę, nequaquam vna existeret. Scio equidem lógè aliam esse vnitatem substantiæ, quàm loci: verùm nego per naturam fieri posse, vt vna ab altera separetur, & quæ diuersis locorum terminis conclusa sunt, ea substantiam prorsus eandem habeant. Nam quòd Ecclesię fides de Eucharistia tradit, tam insolens, & à naturæ legibus alienum est, vt impijs

Quid sit vnum.

Philo-

Philosophis nihil absurdius dici posse videatur. Restat igitur, vt is, à quo vnum in finem cuncta impelluntur, à mundo sit absolutus: incorporeus igitur erit. Cùm enim agens perpetienti coniunctum esse debeat, qui singula finem suum destinatò petere facit, hunc omnibus rebus præsentem adesse necesse est. Atqui corpus per vniuersum spatium, quod mundus occupat, intentum esse nequit. Quando enim vno corpore impletur interuallum quodpiam, alterius minimè capax est. Si incorporeus, etiam mente præditus erit profectò. Nam iuxta illud Aristotelis, in ijs quæ materia carent, hoc est, incorporea sunt, intelligens, & quod intelligitur idem est. Quis ergo is erit nisi Deus? Cùm verò nil aliud sit, rem quampiam suum in finem dirigere, quàm gubernare ac prouidentiam eius habere, patet ex his, DEI prouidentia mūdum administrari. Sed quia sub tam generali prouidentiæ descriptione impiæ quorundam Philosophorum sententiæ delitescere possent, eidem fundamento aliā superstruemus, quę pietatis & religionis conseruatrix esse queat, & qua nihil diuina gubernatione exemtum esse statuitur. Potest igitur Deus in vniuersum tribus modis huius vniuersi moderator intelligi. Vel enim ipse cum primò rerum naturas conderet,

Omne incorporeū intelligēs. Cap.4.li.3.

ret,

ret, impetus quosdam ijs impressit, quibus cum in propria bona, tum in id, quod omnibus commune ferantur, ac deinceps à mundi procuratione feriatus, vnumquodque sinit eò tendere, quo impetus illi naturales rapiunt; vel per cœlos, aut aliud quodcunque corpus inferiora procurat; vel denique vicariam quandam mentem vniuerso præfecit, vt ipsum eius gubernatione distineri, non sit necesse. Ac primis ille prouidentiæ modus, cum experimentis repugnet, à nemine Philosopho, quod sciam, ponitur. Alter verò, licet patronis non careat, facilè tamen neque diuinæ bonitati congruere, neque experimentis consentire, neque omnino possibilis esse demonstrabitur.

Deum non solum mediante cælo, sed immediatè quoq; mundum regere.

CAPVT III.



NON congruere Deo talem prouidentiæ modum in fine primi libri tot rationib9 declaratū est, vt sūp-uacaneum videatur, vllū deinceps verbū ea de re cum aduersarijs commutare. Experimentis verò, quia plurima à nobis afferentur, satius erit peculiarem locum attribuere. De possibilitate igitur nunc solum tractaturi sumus. Ac primum Lactanius libel-

Prima ratio.

lo

lo de ira Dei ſic ratiocinatur: vbi non eſt ratio, non eſt cogitatio, vbi non eſt cogitatio, non eſt motus nec actio. Quæ gradatio, quia mirificè illuſtrat prouidentiam ad omnia pertingentem, clarius explicanda erit. Neque enim omnes intelligere arbitror, quid ſibi tam ſuccincta argumentatione Lactantius velit. Itaque ſciẽdum eſt veteres Philoſophos, quemadmodum ex Platonis Phædone & proclo in Timæum libro primo admonuimus, præter cauſam materialem vix aliam agnouiſſe, ac primo Anaxagorę ſuboluiſſe mentem quãdam, quę res omnes inter ſe cõfuſas & permiſtas in ordinẽ digeſſerit. Qui tamen in progreſſu phyſiologię ſuę, ad aëras & neſcio quam ὁμοιομέρειαν relabitur. Poſt hunc demum Platonem animaduertiſſe, quòd præter materialem cauſam opus ſit effectore intelligentis naturę, non ſolum ad primam mundi conſtitutionem, ſed in omni deinceps materiæ immutatione, & ſecundarum cauſarum ἐνεργεία. Quæ enim ſine cognitione ſui effectus operãtur, cum ex ſe indeterminata ſint ad hanc formam ἄτομον, ſeu aliam producẽdam, imò inter infinitas, quæ paulatim produci queunt, æquali pondere ſuſpenſa hæreant, non erit ratio, cur ab ijs vna præ altera in eſſe prodeat.

Quare vel éas omnes ſimul gignent, vel

nullam in totum. Atqui omnes, quę infinitę sunt, vnà produci non possunt: nulla igitur producetur. Quocirca, si vlla forma recens in materia progignetur, in tota serie causarum eius aliquam esse necesse est, quæ intelligibilem ipsius imaginem cogitatione complectatur, & ad eam producendam propinquiores causas ex se ἀδιαφόρους determinet. Hoc volebat Lactantius (opinor) cum ait, sine cogitatione nec motum nec actionem subsistere posse. Vt autem ad nostrum institutum hæc argumentatio accommodetur, si iners & otiosa est omnis agendi facultas, nisi intelligentis naturæ adminiculo eius ἀδιαφορία restringatur, sequitur non sufficere cœlum vel corpus quodcunque ad perpetuam illam rerum occumbentium, & orientium vicissitudinem.

Adhæc mundi salus & incolumitas in accurata quadam partium eius symmetria posita est. Nisi enim talis siccorum & humidorum, item frigidorum & calidorum inter se ἰσοκράτεια seruetur, vt vnum ab altero vinci & pessundari non possit, breui tempore futurum esset, vt vna sui parte rerum vniuersitas mutilaretur. Sed & specierum conseruatio, & indiuiduorum certus numerus ad vniuersi integritatem requirũtur. Quis enim nescit eo modo à specierum quodam contextu

xtu indissolubili mundum pendere, vt si è toto ordine vna eximatur, euestigiò truncus & mutilus sit euasurus? Quis etiam ignorat, si vnius alicuius generis indiuidua nimium multiplicarentur, fore vt vna species alteri impedimento esset? Quid item facerent animalia vitam solitariam ducere sueta, si omnia deserta loca feris complerentur? Vnde rapaces bestiæ alerētur, si ingens esset earum copia, & animantia quorum venatu victitant exiguo numero comprehenderentur? Porrò hoc omnium rerum iustum pondus, hanc mensuram, ac numeros sæpè tentari quidem nonnulla intemperie suborta videmus, verùm nunquam adeò tot annorum spatio dissolui ac perturbari potuisse, quin paulatim suæ mediocritati restituta sint. Quæ tantæ molis tam accurata temperatio cuínam quæso accepta ferri debet? An existimabimus mundi sapientissimum architectū, ita potuisse ipsum instituere, atq; partes eius tam æquis inter se viribus committere, vt vna alteram vincere & deuastare nō possit? An quemadmodum eximij in humano genere artifices ingētes machinas sic instruere valent, vt assidua sui opificis medicatione opus non habeant; sed non aliter, quàm si per se ratione vterentūr, vsus ad quos conditę sunt, etiam illo absente prę̄stēt? An quo-

Homerus. modo Homerus fabulatur Vulcanum tripodes, qui sponté progrederentur fecisse, quomodo Cretensem Dædalum quædam organa construxisse ferunt, quæ ἀυτομάτως sine auctore mouerentur, ita quoque statuemus hoc vniuersum, adeò prouide institutum esse, vt sine opificis sui adminiculo partes, quæ singulæ fragiles sunt, simul coniunctę se inuicem ab interitu vindicare poßint? Scio equidem hanc prouidentiæ rationem summopere quibusdam minorum gentium Philosophis placuisse. Horum enim est illud paradoxon, omninò fieri non posse, vt quantumlibet res singulæ fortuitis casibus iactentur, vlla ἀταξία vel pernicies in rerum genera inuadat. Ac proinde nunquam non esse in tota specie aliquod indiuiduū, quod non omnibus suis numeris absolutum sit, nunquam in humano genere deesse qui beatus sit, nunquam qui rideat, nunquam qui philosophetur, & sic deinceps. Neque vt vires naturales in tota aliqua specie, haud sint otiosæ, ac omnes mundi partes incorruptæ seruentur, specialem Dei prouidentiam requiri, sed huic rei procurandæ vires rerum naturales cum primi corporis motu & energia sufficere. Sed absit, vt credamus mundū quem nos incolimus, cuius imbecillitatis tot documenta quotidie intuemur, sine sui opificis

Auerrois.

ficis ſingulari cura, non dico in perpetuum, quod illi iactant, ſed vel ad breue tempus conſiſtere poſſe. Loquor autem de mundo nobis noto; ſiquidem an alius hoc ſtabilior & minori prouidentia egens ab omnipotente Deo conſtitui queat, in præſenti non diſputo. Primum igitur aio diſſolutionis harmoniæ tot cauſas intra ſe mundum habere, quot animalia. Vt enim hic è partibus contrarijs in vnum coagmentatis & virium æqualitate ſibi mutuo attemperatis, componitur, ita & animalium, quorundam ſi omnes particulæ inter ſe conferantur, talis quædam ἰσοκράτεια agnoſcenda erit. Nam etſi diſputetur à Philoſophis num detur mixtum æquale ad pondus, vt ipſi loquuntur, doctiores tamen in eo conuenire video, quod, ſi omnium partium craſis iunctim conſideretur, talis mixtio non ſolum poſsibilis ſit, verum etiam ad animantis bonam conſtitutionem neceſſaria. Iam verò ſi anima non poteſt ſuum corpus ab interitu ſeruare, ſed etiam ſi nulla continentis vi ipſum læderetur, ob partium, è quibus conflatum eſt, pugnam diſſolui paulatim neceſſe eſt, quanto magis vniuerſum, quòd animæ vinculo non colligatur, tametſi vis aliũde non afferatur, propter ſuarum partium contrarietatem, non ſemper maneret incolume, niſi opificis ſui

1. ratio cõtra Auerrois dogma.

Datur mixtũ æquale ad pondus.

II. potẽtiſsima virtute fulciretur? Inſuper nulla ſub Sole monarchia, nullum regimen, nulla ſodalitas tam prouidè inſtitui poteſt, vt iniurię temporis non ſit obnoxia. Habent omnia primum ſua rudimenta, mox τὸ κατὰ μικρὸν προσθέσει ad ſummum perueniunt, ac tum deinde fatali quodam flexu incipiũt in peius fluere, & retro ſublapſa referri. Nihil hîc profuerit, remedia cõtra ſuborientes defectus magna cura inſtituta eſſe, nihil gubernatorum induſtria, qui ipſis ad ruinam inclinatis magno ſtudio humeros ſupponant. Incredibile eſt igitur, hunc mundum, quem toties nutare videmus, ſine vllo moderatore ſibi dimiſſum, perpetuò ſaluum manere poſſe. Sed nunc propius ad rem accedamus.
III. Nemo ignorat, ab aëris temperie non ſolum ſtirpium prouentum, ſed & animalium quę ſunt mũdi partes longè nobiliſsimę, ſalutem dependere, & ſi is ſiue nimium diuturno, ſiue nimium copioſo calore vel humore, horumve contrarijs frigore & ſiccitate ſit terris infeſtus, de terreſtrium animalium toto genere actum eſſe. Quæro ergo nũc quidnam haſce aëris affectiones ita moderetur, ijſque legibus temperet, vt ſaluti & incolumitati tot ſpecierum, ſine quibus mundi integritas conſtare non poſſet, ab aëris dyſcraſia probè cautum ſit. An dicemus to-

tam

tam illam cauſarum multitudinem, à quibus aër variè afficitur, incerto caſu fluitare, & dum vna alteri repugnat, & huic rurſum altera, idque ſine vllo modo ac regula in orbem progreditur, nunquam fieri poſſe, vt vna diu rerum potiatur excluſis cæteris, ac proinde nullam vſque eo inualituram vt animalium generi pernicioſa ſit? Fateor equidem fieri poſſe, vt aliquantiſper hoc modo ἡ πανωλεθρία ab animalibus & terræ naſcentibus propulſetur, verùm in illa fortuita iactatione neceſſe eſſet ex intemperie aëris omnia terrena crebrius, quàm nunc fieri videmus, periclitari, & tandem inferioris mundi harmonia penitus diſſoluta, vniuerſum vix vllum priſtini decoris veſtigium retinere. Niſi enim quippiam exiſtat, quod res inter ſe pugnantes, ac perpetuò in exitium mutuum intentas, in quadam virium æqualitate conſeruet ac tueatur, vnum tandem, peſſundatis reliquis, neceſſariò præualebit. Quodſi verò inferior mundus ex ſe inſtabilis, & ſuſque deque fluctuans, ad aliquod ſtabile principium reuocari debet, quodnam illud erit? Hîc Aſtrologi, ſat ſcio, reſpondebunt, cœlum ac ſtellas tantum iuris in ſublunarem mundi partem exercere, vt omnium eius affectionum promi condi exiſtant, ac proinde ab illorum ſtabilitate cau-

Aſtrologi an rectè ſtellis affectionū aëris aſſignent.

causam esse petendam, cur aëris temperies ex se fluxa, certis quibusdam legibus astringatur. Atque idem Philosophis dicendum est, qui mentem huic inferiori mundo præesse negant. Sed ex his lubet sciscitari, num sic velint statum aëris ad siderum influxum esse referendum, vt nunquam earum radios materiæ contumacia frustretur, an verò siderum vires aliquando materiæ edomandę pares non esse fateantur. Non potest dici semper efficax esse stellarum vis; nam si perpetuus sit huius inferioris mundi ordo, vtpote ab insuperabili causa dependens, perit ex vniuerso pulcherrima illa varietas, qua fit, vt nonnullis corporibus certæ & statæ vicissitudines competant; aliæ nullas certas mutationum vices subeũdo, in sua instabilitate duntaxat constantes sint. Præterea mundus inferior peste, sterilitate, aquarum eluuionibus, terrarum incendijs, ventorum grauissimis procellis, terribilibus ostentis in sublimi conspectis adeò subinde concutitur, vt videatur antiquum chaos repetere velle, impiaque æternam formident secula noctem.

Sed absurdum est non ex materiæ fluxu & inconstantia potius, quàm ab eo ipso cœlo, quod sublunarem mũdum in interitum pronam fulcire dicitur, perturbationis originem

ginem repetere. Nec Aristoteli vnquam in mentem venit, stellarum alium atque alium situm inundationis aut siccitates causam statuere: sed contrà in meteorologicis ait propter similem terrarum ad solem respectum æqualiter in ijs affectum esse aërem, nisi vel regionum ipsarum diuersa natura, vel halitus ex vna regione in aliam à vento propulsi, in causa sint, vt vna prouincia humore grauetur, altera siccitate squalescat; vna ventis infestetur, altera tranquilla sit. Vides hîc inæqualium tempestatum, in ijsdem climatibus, rationem non quæsitam esse è sideribus, sed partim ex ipsa soli diuersa indole, quæ alia est in montosis locis, alia in siluestribus, alia in campestribus, alia in palustribus: partim ex fortuita materiæ, vnde venti & pluuiæ gignuntur, iactatione. Patet igitur ex hisce argumentis non rectè dici, omnes aëris constitutiones à stellarum influxu pendere. Si verò cœlestium corporum vires tantæ non sunt, vt inferiorem mundum sibi omni ex parte subijcere queant, nondum inuenta ratio, qua is, sine mentis rerum moderatricis præsidio, sartus tectus manere posse videatur. Adde his tot rerum species tam longo tractu seculorum seruatas, ita vt ne vna quidem hucusque interciderit; tametsi quarundam sit tanta fragilitas, vt sine huma

lib.2.ca.4.

IIII.

na

na cura diu ſupereſſe nequeant, quædam in vna ſolum regione inueniantur, quædam vnicum duntaxat indiuiduum habere dicantur. Quam facile fuiſſet negligentia hominum eas rerum ſpecies aboleri quæ humana induſtria ſeruantur? Quam procliue inopinato aliquo caſu eàs conſumi, quarum ita fert natura, vt cum admodum paucis indiuiduis vel ſtare, vel occumbere cogantur? Quomodo Phœnicis ſpecies, quæ (ſi talis eſt, qualis deſcribitur) omnem ſalutis ſpem in vnico indiuiduo, eoq́; caduco repoſitam habet, hactenus ſuperſtes fuiſſet, niſi mens aliqua mundi præſes ſingulari ſtudio ipſa rerum genera ab interitu vindicaret? Sed ne-

V. que prætermittendum hîc eſt, fieri poſſe, vt vna ſpecies in aliam degeneret. Quæ res quia fortaſſe nonnullis παράδοξος videbitur, rationibus & exemplis perſuadenda erit. Primum igitur cogitari velim, ad formæ in materiam inducendæ genituram, non parum referre cuiuſmodi ſit materiæ διάθεσις:

lib. 2. de anima ca. 2. nam, vt præclarè dixit Ariſtoteles, δοκεῖ ἐν τῷ πάσχοντι καὶ διατιθεμένῳ ἡ τῶν ποιητικῶν ὑπάρχειν ἐνέργεια, id eſt, videtur actus agētium in patiente diſpoſito ineſſe. Itaque non è qualicunque materia equus equum procreare poteſt, ſed ritè diſpoſita & modificata. Ac tantum in materia momenti ſitum eſt, vt e-

quus

quus ex asina, non equum, sed deteriorem quandam naturam procreet, mulæ videlicet, non quia semina vtriusque sexus permiscentur, vt Galenus existimauit, sed quia maternum semen est materia paterni: quomodo succus terræ velut materia stirpium seminibus subiecta est; quare tota causa degenerationis, materiæ, quam asina suppeditat, inhabilitas existimari debet. Insuper non nulla semina immodico aëris calore excocta degeneri segete spem agricolarum eludunt, cuiusmodi est D. Basilio auctore, qui à Græcis πυρὸς dicitur. Hoc enim frumenti genus cum primò sereretur, σῖτος dicebatur; postea verò quam adoleuit, & natura & appellatione mutata ab adustione πυρὸς nuncupatur. Sed & Plinius frugum, quæ suo generi non respondent, mentionem facit. Quę cum ita sint, efficitur, non posse eandem naturam à genitore in fœtum perpetuò transfundi, nisi aliquid existat, quod materiam ex se mutabilem à corruptelis quæ infinitis eam modis vitiare possunt, tutam præstet. Porrò cum proximæ causæ tantis haud polleant viribus, vt materiam prorsus euincere, ac formæ, quam parturit, adaptare queant, sed tam imbecilles sint, vt sæpè διὰ τὸ τῆς ὕλης δυσμεταχείριστον in totum suo effectu frustrentur, vt in sterilibus vsuuenire solet, sæpè

Fruges degeneres.

pè fœtum turpi monſtroſitate deformem producant; de alia cauſa multò potentiore cogitandum eſt, quæ materiam à noxis defendens, prolis à paterna ſpecie degenerationi obſiſtat, mens videlicet per inferiorem mundum intenta, & eius incolumitati proſpiciens. Quodſi adhuc vllus cuiuſquam animo ſcrupulus de harum rationum firmitate, inhæreat, ac nondum ſatis neceſſaria ſpecialis prouidentiæ documenta nos protuliſſe arbitretur; huic duo quædam reſpondere poſſum. Prius horum eſt, non potuiſſe mundum ſine opificis ſui admirabili ſapientia ſic inſtitui, vt contra omnes intereundi occaſiones, quas tam multas recenſuimus, ſint in ipſo prouiſa remedia, & proinde ſi non ad oſtendendam Dei ſpecialem prouidentiam efficaces ſint, ſaltem eò profecerint hæ rationes, vt manifeſtius DEI conſilio mundum effectum eſſe perſpiciatur. Alterum verò, quia paucis verbis expediri non poteſt, in ſequens caput reijciemus.

Fuiſſe quoddam vniuerſale diluuium, & ex eo, ſiue naturaliter ſiue miraculosè dicatur accidiſſe, ſemper elucere, quod inferior mundus ἀπρονόητος non ſit.

CAPVT IIII.

SI

SI quis peruicacior ſibi non eſſe ſatiſ-factum præcedenti capite queratur, duo me habere dixi, quæ ipſi reſpondeam; vnum fuit, ſi non neceſſariò putet ex illis rationibus confici, quod propoſitum erat, ſaltem aliud quod tantundem valet cõcludi, nimirum in ipſa mundi καταβολῇ à Deo perpetuitatis ipſius fundamenta poſita eſſe: ex mundi verò creatione prouidentiam qualem requirimus certiſsimò inferri, libro primo declaratum eſt. Alterum priuſquam proponam, docẽdum eſt mihi, fuiſſe quoddam vniuerſale diluuium, quo omnia animalia quæ in terris degunt, quàm paucilsimis exceptis, ſuffocata ſunt. Id verò ex orbis ante aliquot ſecula vacuitate, hiſtoriarum origine, artium inuentione, arborum recentibus tralationibus; denique ipſis gentium hiſtorijs tanta euidentia probari poteſt, vt impudens ſit, qui in re tam clara tergiuerſari non erubeſcit. Orbis vacuitatem gentium ad quærendas nouas ſedes innumeræ migrationes ab hiſtoricis commemoratę teſtãtur. Quis enim neſcit, Cyprum, Ciliciam, totum Aſię minoris littoralem tractum à Caria & Lydia vſque ad Helleſpontum, quin & omnia Ponti littora Græcorum colonijs olim plena extitiſſe? Siciliam, & eam Italiæ partem, quæ magna Græcia olim dice- Cap.10.

cebatur, Cyrenen in confinio Libyæ & Aegypti, Masiliam in Gallia Narbonensi, omnes fere mediterranei maris insulas cultoribus vacuas à Græcis primum habitari cœpisse? Sed & ipsos Græcos aliunde in illam regionem commigrâsse, vel inde colligitur, quod soli Græcorum Athenienses αὐτόχθονες, hoc est indigenæ habebantur. Nam ea res argumento est, publica tunc fama iactatum fuisse ceteras gentes, quæ Græcorũ nomine censebantur ex alijs terris in Græciam, haud dubium quin vacuam, esse profectas. Nam si quis ad eam veteris Græciæ barbariem, quæ à Thucidide primo libro historiæ suæ describitur, animum aduertat, facile assentietur, eos tũc recenter in eam regionem aduenisse. Ait enim eos nondum habuisse muratas vrbes, sed vicatim habitâsse, & ꝓ sui tutela enses perpetuò gestâsse, insuper ex rapto viuere solitos esse. Porrò & Græcos & cæteras nationes omnes è Syria & vicinis locis, ne Atheniensibus quidem exceptis, prodijsse, ipse historiarum in antecedentia ductus, ostendit. Cùm enim posterioribus seculis de Gallis, Germanis, Britannis, Hispanis, Afris plurimis sermo fiat, quanto altius retro ascenderis, tanto orienti propiores gẽtes celebrari inuenies, donec ipsum caput omnium historiarum Asyriorum monar-

Isocrates in panathenaicis.

chiam à Niuo inchoatam, aſſecutus fueris. Atque hoc eſt illud ſecundum generalis cataclyſmi indicium, quod quinam ante Aſſyrios vſquam terrarum imperitârint, quis rerum ſtatus in mundo extiterit, nulla hiſtoria commemorat. Nam quæ de antiquitate phrygum Aegyptiorum & Atticæ autochthonibus dicuntur, tanquam λήρου βεκκεσελήνου ἀπόζοντα & fabuloſa ab omnibus reijciuntur. An ergo fuiſſe quidem ſemper ante Niuum aliquos tum Aſſyriæ, tum aliarum regionum incolas exiſtimabimus, verùm æternis ſeculis ſine cultu & humanitate, ſine repub. & legibus vixiſſe, nec quicquam dignum, quòd hiſtorijs mandaretur geſsiſſe? Atqui non eſt credibile, poſt barbariem infinitorum annorum ſerò tandem homines quaſi è profundo ſumno experrectos, ad humaniorem viuendi rationem ſe contuliſſe. An multa quidem in primis digna memoratu ab ijs geſta eſſe dicemus; ſed ideò ad noſtram notitiam ea non perueniſſe, quod omnia illorum temporum monumẽta abolita ſint? At multò magis fide caret, omnia illius nõ nimis vetuſti ſeculi indicia obſcurari potuiſſe, niſi & ipſum genus humanum penè totum vna cum literis aliquo inuſitato caſu extinctum fuiſſet.

Qui ex ipſa regione quam incolit oriũdus eſt.

Artes omnes recentes. ſet. Adde his omnium artium quæ ad vſum & ornamentum humanę vitę pertinent, certam originem, eamq́ue non admodum antiquam, apud hiſtoriarum ſcriptores inueniri. Nam Varro libro 3. de re ruſtica auctor

Cap. 1. eſt, cum illud opus ſcriberet, ab omnium artium primis initijs non vltra mille annos effluxiſſe. Quid igitur hîc dicturi ſumus? An multò quidem ante fuiſſe eas, quàm Varro arbitratur; ſed teſtimonia quibus id probetur intercidiſſe? Atqui non ſolum deſunt hiſtoriæ vnde earum maior antiquitas probetur, verùm etiam in promptu ſunt, quę ipſas recenter inuentas teſtentur. Itaque nihil hic aliud reſtat, quàm vt vel vniuerſali quadam terrarum vaſtatione artes interijſſe, vel ſempiternis temporibus humanum genus ſine earum cognitione vitam toleraſſe dicamus. Nec minus validum argumentum à nouis arborum & animalium tranſlationibus ſumitur. Olim vites non habuit Germania; verùm noſtro hoc ſeculo vix vlla Europæ regio vini feracior eſt. Olim genus illud arboris, quod perſicam appellant, in ſola Perſide inueniebatur: nunc verò per totam Europam nihil iſta arbore vulgatius. Plura ſunt his ſimilia, ſed ſatis eſt ipſum genus animaduertiſſe. Sed hîc Philoſophi, quæ eſt illorum pertinacia, cõfugient ad fatales quaſdam

dam rerum ſublunarium periodos, & quẽadmodum Ariſtoteles ait, τὰς ἀὐτὰς δόξας οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, οὐδὲ ὀλιγάκις ἀλλ' ἀπειράκις ἀνακυκλεῖν, id eſt, eaſdem opiniones non ſemel neque bis, ſed infinities redire, ita ipſi contendent artes & ſtudia humanitatis, perpetua quadam alternatione nunc florere, nunc negligi. At verò ſi per vniuerſum orbem aliquãdo ab humanitate ad belluinam feritatem deſciſcant homines, quo tunc ergo aufugit illa naturæ potentia, quàm Auerrois tantam eſſe affirmat, vt ſine DEI prouidentia queat efficere, ne tota ſpecies ab vlla naturali functione vllo tempore ferietur? Quę hęc iſtorum deſultorũ tanta leuitas eſt, vt, cum ex contemplatione imbecillitatis rerum inferiorum ad confeſsionem diuinæ prouidentiæ ipſos inuitamus, naturæ in tota ſpecie inſuperabile quoddam robur nobis perpetuò ingerant, ac viciſsim, cum ad oſtendendum diluuium vniuerſale, omnes artes ante annos non ita multos in lucem ꝓdijſſe dicimus, tam eſſe fragilem naturam fingant, vt nonnunquam in toto humano genere velut quodam veterno oppreſſa, ab omni propemodum humanitatis officio vacet? Verùm vt donemus non abſurdè credi, interdum hoc genus artium ab hominibus in totum neglectui haberi, ſine quo vtcun-

Philoſophorum reſponſio.

Refutatio.

que viui poteſt, ceu ſunt eloquentia & Philoſophia, & omnis literarum cognitio; non eſt tamen vllo pacto veriſimile agriculturam & cæteras artes vitæ neceſſarias, poſteaquam ſemel innotuiſſent, iterum repudiatas eſſe, & homines deſertis frugibus ſponte ad glandes redijſſe. Et tamen cum agriculturam & ſimiles artes ab initio non admodum vetuſto hiſtoriarum ſcriptores repetant; niſi mundus aquarum eluuione quondam vaſtatus fuerit, tale quid Philoſophi de toto hominum genere comminiſci cogũtur. Denique, ne vlla de vniuerſali inundatione dubitandi occaſio ſuperſit, non deſunt quoque prophani ſcriptores, quorum apud noſtros aduerſarios haud leuis auctoritas eſſe debet, qui talem mundi caſum memoriæ prodiderunt. Ij ſunt Beroſus Chaldęus & Nicolaus Damaſcenus, quorum verba apud Ioſephum in ἀρχαιολογίᾳ Iudaica recitantur. Quin & Aytonus Armenus tradit, vſque hodie in Armenia montem oſtendi, in quo conſtans fama eſt arcam Noę, quæ mundi λείψανα ſeruauit, deſediſſe. Atque partim fretus horum teſtimonio, partim exiſtimãs quiduis potiꝰ admiſſuros eſſe Philoſophos, quibus cum mihi in præſenti res eſt, quàm mundi totius recentem eſſe originem, cum ęquè probabiliter vtrunque ſupra memoratis

Beroſus Chaldæus Nicolaus Damaſcenus.

ratis

ratis experimentis oſtendi poſſet, diluuium potius quàm mũdi nouam creationem mihi probandum duxi. Quòd autem ex illo, ſiue naturale, ſiue miraculoſum fuiſſe putetur, Dei erga humanum genus prouidentia elucefcat, nunc planum faciam. Primùm ſi naturæ ordo fert, vt aquę terras ſupergreſſę cuncta animantia atque adeò homines vniuerſos, quàm paucisſimis exceptis, abſorbeant, fieri etiam poterit, vt aliquanto vlterius euectæ, nullos relinquant ſuperſtites. Quid enim ſtultius, quâm potuiſſe ad tam paucos genus humanum redigi, vt omnis antiqui temporis memoria perierit, niſi quam diuino ſpiritu inſtinctus Moſes interpoiauit; & non aliquãdo eo vſque graſſari poſſe aquarum violentiam, vt, neque πυρφόρος, vt dici ſolet, in mundo relinquatur? Si autem poſſibile eſt aquis omnia terreſtria ſuffocari, corruptibilis ergo mundus inferiore ſui parte exiſtit, ac idcirco ne aliquando peſſum eat, mentem aliquam rectricem ei præſidere neceſſe eſt. Si verò contra naturæ leges factum eſt, vt aquarum elementum totius orbis terreni ambitum occupârit, euidentisſimum hoc argumentum erit, non ita ſuæ naturæ permitti hæc inferiora, quin cuiuſdam rerum præpotentis gubernatoris curæ ſubiecta ſint.

Quod mens illa, quæ mundi prouidentiam gerit, sit ipse DEVS.

CAPVT V.



HActenus demonstratum est, mentis cuiusdam cura sublunarem mundum regi: nũç quoniam fortè quispiam sibi probari cupiet, non secundariæ alicui intelligentiæ rerum habenas à Deo traditas esse; id paucis docendum erit. Intelligamus igitur oportet, Deum oculis humanis non esse conspicuum, & proinde quascunque sibi eius notiones format humana mens, illas ex operibus, quæ aliquo sensu percipiuntur sibi collegit. Cùm verò inter opera DEI, quæ sub aspectum cadunt, nullum sit luculentius, ac præstantius, quàm singularum mundi partium tutela, & in fines suæ naturæ consentaneos destinatio, si non per seipsum, sed aliam quandam inferiorem mẽtem cunctis rebus id beneficij præstaret, præcipuam Dei notionem creaturæ accommodaremus, &, quo nihil absurdius cogitari potest, mundus qui non solum D. Basilio in Hexaemero, sed & ipsis Philosophis auctoribus, ideò factus est, vt διδασκαλεῖον seu liber esset, in quo humanum genus Dei potentiam, sapientiam ac bonitatem contemplaretur, homines neque ad notitiam ipsius per-

Mundus liber humani generis.

perduceret, neque amorem inuitaret, ſed neſcio cuius alterius mentis ab ipſo diuerſæ. Abſit igitur, vt poſtquam declaratum, eſt oportere naturam quampiam intelligentem ad mundi gubernacula ſedere, aliam præter ipſum DEVM iſto munere fungi imaginemur. Verùm ſi quid per angelos in tota hac rerum vniuerſitate geri creditur, id non niſi Dei nutu & imperio geri credatur; vt ſumma rerum penes ipſum ſemper maneat; &, quemadmodum D. Auguſtinus ait, voluntas DEI ſit prima & ſumma cauſa omnium corporalium, ſpiritualiumque motionum, nihilque fiat viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturę ampliſsima quadam vniuerſaque repub. Præterea vulgatum eſt axioma Philoſophorum, de ijs quę fieri poſſunt, naturam & Deum id facere, quod optimum eſt. Atqui melius eſt ita creaturas inſtitutas eſſe, vt in omnibus ſuis actionibus à diuino arbitrio pendeant, nec quicquam noui ſine eius voluntate in mũdo oriri poſsit, quàm vt ipſe per ſe ſine diuino nutu nouas in materia formas progignere queant. Ita enim fit, vt mũdi pleno iure domini-

Angeli ad miniſtri prouidentię diuinę.

Sententiarum proſperi ſententia 58.

II.

minium sibi seruet, ac verè dici possit τὰ πάν-
Xenophō. τα σείειν καὶ ἀτρεμίζειν, quod ipsi à Xenophō-
te attribuitur: cum alioqui naturarum quadam velut emancipatione suam potestatem non parum imminuisset. Si enim creaturæ sine Dei speciali opitulatione suas naturales functiones obire valent, intelligi profectò nequit, quomodo in vllius minimæ rei actionem quicquam iuris habeat, saluo generali illo influxu, quem Philosophi statuunt, nisi ipsam eius, quod remorari vult, naturam destruat; id verò, cum eius bonitati non satis consentaneum videatur, nunquam est facturus. Si ergo non ea lege mundum produxit, vt omnium eius motuum sibi potestatem retinuerit, non fuit possibile talem ipsum creari. At verò, cum non sine manifesta ratione quicquam diuinæ potestati sit eximendum, ecquæ est illa ratio, ob quam negetur DEVS sic eum instituere potuisse? An
Obiectio. fortè metuit quisquam, si nihil sine Dei speciali synergia fieri posse dicamus, nullas in agendo partes ipsis creaturis relinqui? Sed
Solutio. frustra hoc metuit. Si enim color quamuis sine lumine sui similitudinē in aëre nō queat progignere, rectè tamē illius similitudinis propinqua causa dicitur; cur non & simili ratione proxima agentia suorum effectuum causæ manebunt, etiamsi absque Dei speci-

ali

ali quadam cooperatione omnes eorũ vires torpeſcerent? Vltimò cõſiderari velim Deum tanquam ens per ſe primam omnium rerum cauſam eſſe, non ſolum quia auctor eſt primorum indiuiduorum, vnde cætera ducunt originem, nec ea duntaxat ratione, quòd vniuerſis ex æquo generalem quandam curam impendit; nam ita non magis eorum quæ reuera ſunt, quàm quæ non exiſtunt, modò poſsint exiſtere, cauſa eſſet, quemadmodum auus non magis eſt cauſa nepotum, qui iam geniti ſunt, quàm eorum qui adhuc gigni poſſunt. At ſi hoc volebat Ariſtoteles cum diceret, ab hoc ente, id eſt, DEO pendere cœlum & terram, & vniuerſam naturam, nihil attulit dignum tanto promiſſor hiatu. Sed tunc demum verè cauſa vniuerſæ naturæ eſſet, ſi, quod Chriſtianorum literæ docent, omnia verbo virtutis ſuæ eum in modum portaret, vt ipſo ſpiritum ſuum auferente deficerent, & in puluerem ſuum reuerterentur.

III.

12. metaphyſi.

Pſal. 102.

Cœlum non ab interno principio moueri, ſed à mente extrinſecus aſſiſtente.

CAPVT VI.

QVEmadmodum huc vſque totum vniuerſum ſpeciali DEI prouidentia adminiſtrari docuimus, ita nunc ſigillatim præci-

præcipuas eius partes diuinæ curæ ſubiectas eſſe demonſtrabimus. Commodiſsimè verò à cœleſti corpore ordiemur, tum quòd illud ſupremum in vniuerſo locum obtinet, tum quod expeditior ea tractâtio futura ſit, in qua neque Philoſophos nobis aduerſos habemus. Vt autem ordine procedat hęc noſtra diſputatio, primum non eſſe motum cœli eo modo naturalem oſtendemus; ſecundo quod neque animæ impulſu in orbem voluatur; tertiò motorem externum, quem ei tribuimus, oportere intelligentis naturæ eſſe; quartò etiamſi negandum non ſit, inferiores quaſdam intelligentias cœlum conuertere, totius tamen cœlorum regiminis primum dictatorem Deum eſſe probaturi ſumus. Ac non moueri cœlum ſponte naturæ
I. ſuæ, his argumentis planum fit. Nulla res motu naturali incitatur, niſi extra locum ſuum peregrinetur. Eſt enim vnicuique corpori impetus à natura impreſſus, quo in locum ſuum naturalem, ſi quando vi ex illo eiectus fuerit, referatur; eò quod in natiuo cuiuſque rei loco eius incolumitati melius cōſultum ſit. Atqui cœlum in ipſa ſua naturali ſede conſtitutum irrequieta vertigine circunfertur. Non eſt ergo motus eius
II: naturalis. Inſuper motus naturalis ſemper quandam ἀνομαλίαν ſeu irregularitatem habere

bere cernitur, contrariam illi, quæ in violento motu percipitur. Vt enim vi proiecta quanto longius progrediuntur, tanto lentiori motu feruntur: sic ediuersò quę à natura mouentur, quanto longius procedunt, tanto concitatior est eorum impetus. At verò cœlum ac sidera æquabilem & regularem in omni æternitate motum retinēt, nec diuturnior est nostro seculo primi cœli diurna periodus, quàm Ptolomæi vel Eudoxi temporibus fuit. Adde his, quòd eæ causæ, quæ ex vi naturali quicquam efficiunt, si nullam ipsis remoram materiæ patientis contraria διάθεσις afferat, momento temporis suam actionem absoluant. Lumen, quia nullam sibi contrariam qualitatem ex aëre pellit, simul cum lucido corpore in ipso apparet. Nec dubitat Aristoteles, grauia ἐν ἀκαρεῖ deorsum casura esse, si spacium per quod feruntur omni corpore obsistente vacuum esset. Sed nihil in cœlo ostendi potest, vnde motus eius retardetur. Quid enim illud erit? An medium? Atqui cœlum non per vllum medium, quod eius celeritati moram afferre poßit, sed in seipso reuoluitur. An orbis vnus cōtra alterum nitēs? at si eiusmodi orbium renisus in cœlo admittitur, motus eorum violentus erit. Sed vim in rebus perpetuis nunquam reperiri vulgatißimum est.

Aristo. lib. 4. Physſ. cap. 8.

Cùm

Cùm igitur nulla ratio reddi posſit, quare motus cœli non ſit momentaneus, ſi naturalis, à motore extraneo cœlum moueatur
III. neceſſe eſt. Præterea videmus Planetarum ſpheras, diurna cœli vertigine contrarium ſuo proprio motui curſum pagere; quocirca cum vnum idemque corpus non poſsit duobus contrarijs motibus à natura cieri, ſi vnus eorum naturalis ponitur, alter naturæ contrarius, ac proinde violentus erit. Itaque vt cœlum à violétia liberemus, alium quàm naturalem in eo motum agnoſcere debemus.
IIII. Ad hęc cœlum, in quo ſtellę inerrantes infixę ſunt, nonnunquam celerius, nonnunquam tardius progredi videtur. Ante Ptolomęi enim tempora, centeſimo quoque anno, gradum vnum in conſequentia fixæ ſtellæ promouebant; à Ptolomęo verò vſque ad Mahometen Aratenſem multò citius, hoc eſt 66. annorum ſpatio gradum abſoluiſſe dicuntur, ab illo deinde vſque ad noſtra tempora rurſum eorum motus accelerari cœpit. Nam ſingulis 71. annis intermedio tempore vnus gradus reſpondet. Quam ἀνωμαλίαν ad ęqualitatem hactenus nemo reuocare potuit, niſi per quandam polorum ſiue mundi, ſiue Zodiaci deflexum & librationem, qualem etiam polis epicycli Mercurij
Aſcholo. tribuunt Aſtronomiæ periti. Atqui cum talis

lis polorum à sua positione in latus deflexio non posſit ad vllam ſpeciem naturalium motuum, quos Ariſtoteles enumerat, referri, nihil aliud reſtat, quam vt is externo motori tribuatur. Denique ſi motus cœli naturalis fingatur, quæſtio mox difficilima explicatu ſuboritura eſt, an naturalis illa propenſio per quam in orbem voluitur, in vna aliqua cœli parte ſolum reſideat, an verò æquè in ſingulis. Si in vna cœli parte vim eius motricem ſitam eſſe dicas, huius partis natura alia erit quam cæterarum: etenim quorum eſt eadem natura, eorum quoque naturales facultates non diſtinguuntur. Quare neque continuæ ſibi mutuò erũt. Quæ enim naturis diſcrepant, continua inter ſe eſſe nequeunt. Quòd ſi, vt tam grauè incõmodum euites, vim motiuam omnibus cœli partibus communem eſſe dixeris, mox inferam in pleriſque eam ſuperuacaneam fore. Nam quanto quæque pars eſt ab æquinoctiali remotior & polis vicinior, tãto tardius, quod omnes norunt, mouetur. Sed ſi in quaque illarum vis mouendi naturalis otioſa non eſſet, omnes quia eadem vi præditæ ſunt, pari celeritate mouerentur: id verò cum minimè fiat, quædam cœli partes alieno motu trahuntur, nec vllus in ipſis propenſionis ad motum naturalem vſus exiſtit. Plura ad huius

gia, ponis motus in cœlo, qui ad nullam ſpeciem naturalium referri poſſunt.

ius rei confirmationem argumenta proferrem, nisi quæ hactenus allata sunt, prorsus euincerent, alium à naturali esse illum motum, quo cœlum in orbem cõuertitur. Hoc tantum adijcio, vix vllum Philosophum reperiri, qui non quiduis potius commentus sit, quàm cœli reuolutionem à natura proficisci admiserit. Quin neque satis fidei nostrę cõsentanea est illa cœlestis mot⁹ causa. Cùm enim huius mundi vltimus dies finem perpetuæ siderum conuersioni in arcanis literis allaturus esse dicatur, si ad illud vsq; tempus ὁρμῇ quadam naturali incitata fuere, aliquẽ fingamus oportet, qui deinceps per vim ea retineat, ne pro naturę suę propensione rursum moueri incipiant. Sed quis credat DEVM cœlestia corpora violenta stabilitate fixurum esse? Atque hanc rem non ideò mihi hoc loco commemorandam duxi, quod Philosophis quicquam ex auctoritate sacrarum literarum pręiudicari velim; sed ne fortè Christianorum ij, qui tardiori ingenio præditi sunt, nec vim rationum nostrarum satis assequuntur, non multum referre existiment, an cœlum à natura, an ab alio principio moueri dicant. Attamen quia subinde Aristoteles hunc motum naturalem appellat, & in scholis pro axiomate iactatur, cuiusque corporis naturalis esse aliquem motum

Cœlum à natura moueri nõ est consonum fidei.

Obiectio.


tum

tum naturalem, ne quenquam hæ rationes probabilitatis quadam ſpecie ſic ineſcent, vt ſibi adhuc liberum eſſe putet vel aſſenſum retinere, vel vtrilibet parti accedere, operæpretium erit hos ſcrupulos de medio auferre. Quod igitur ad ARISTOTELEM attinet, Solutio. tam is diſertè in 8. Phyſicorum & in 12. Metaphyſicæ ſuam ſententiam expreſsit, vt etiamſi faterer me non intelligere, quid ſibi velit, cum in primo de cœlo motum quinti corporis non aliter naturalem dicere videtur, quam elementorum; non ideò tamen cuiquam integrum futurum eſſet, ex vno paulò ſalebroſiori loco tam apertis eius verbis inſidiari. Interim, ſi quid coniectare Cœlũ quo modo animatum. poſſum, videtur mihi Philoſophus ea de cauſa motum cœli naturalem appellare, quòd intelligentia motrix animæ quandam rationem ad cœlum habeat non informãtis, ſed mouentis & gubernantis, quomodo Platonis ſecta animam in corpore motoris officio fungi dicebat. Quòd autem non prorſus vana ſit hæc coniectura, patet ex libri ſecundi de cœlo cap. 2. vbi cœlum eſſe animatum & habere principia ſui motus affirmat, idque non ex Pythagoreorum ſentẽtia, ſed ex ſua, vt ipſe verborum contextus oſtendit. ἡμῖν δὲ φησὶν ἐπειδὴ ὥρισται πρότερον, ὅτι ἐν τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως αἱ τοιαῦται δυνάμεις ἐνυπάρχου-

σιν, ὁδ᾽ οὔρανος ἔμψυχος καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν δῆλον ὅτι ἔχει τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω &c. Postquã, inquit, nobis definitum est, in ijs quæ principium motus habent, eiusmodi facultates inesse (loquitur de positionum differentijs) cœlum verò animatum existit, ac motus sui principium habet. proculdubio & superum & inferum &c. habebit.

Cœlum non moueri ab anima, sed intelligentia, quæ à cœlo absoluta sit.

CAPVT VII.



QVòd autem de anima informãte non sit locutus Aristoteles, quodque omnino impoßibile sit cœlum à principio interno instar animalium moueri, nũc demonstrare aggrediemur. Quæ disputatio tanto impeditior erit, quantò maior est eorum auctoritas, qui contrariam sententiam sunt amplexi. Ea verò maxima & grauissima est. Non enim solum antiquitus creditum fuit, sideribus mentem ac rationem inesse, vt ex Homeri illo carmine perspicitur ἠέλιος ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει, verum & Aristoteles, ob verba superius memorata à nonnullis huc trahitur, adeò vt neque Diuus Thomas in Aristotelis lectione egregiè versatus, neget ipsum huc inclinâsse.

Contra gẽtes cap. 70.

Quin

Quin & Cicero libro secũdo de natura Deorum sic exponit Aristotelis rationem, qua probatur cœlum à natura haud moueri, vt is vitam inesse sideribus, dicere videatur. Verba sic habent: Ordo siderum & in omni æternitate constantia, neque naturam significat (est enim plena rationis) neque fortunam, quæ amica varietatis constantiam respuit. Sequitur ergo vt ipsa sua sponté, suo sensu ac diuinitate moueantur. Nec verò nõ laudandus Aristoteles in eo, quod omnia quę mouẽtur aut natura moueri censuit, aut vi, aut voluntate. Moueri autem Solem & Lunam & sidera omnia. Quæ autem natura moueantur, hæc aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret, quod eorum motus in orbem circumque fertur. Nec verò dici potest, vi quadam maiore fieri, vt astra contra naturam moueantur. Restat igitur, vt motus astrorum sit voluntarius. Hæc Cicero. Porrò D. Augustinus in suo Enchiridio cap. 58. eumque secutus D. Thomas, hoc ita in medio relinquunt, vt non solum Christianæ fidi non aduersari, sed neque manifesta ratione conuelli posse significent. Sed nec illud quidem certum habeo inquit D. Augustinus, vtrum ad eandem societatem pertineant, Sol & Luna & cuncta sidera, quamuis

Augustinus dubitat num Stellæ animatæ.

nonnullis lucida corpora esse, & non cum sensu vllo videantur. Atque hinc quidam recẽtiorum τὸ ἐνδόσιμον accipientes, animam cœlo inesse, velut magis rationi consonum defenderunt. Sed quia tantos viros sine temeritatis nota contemnere non possum, cómodè ipsos interpretari malo, quàm sententiæ tam absurdæ patronos facere. Animę igitur appellatione eos proprium & determinatum motorem arbitror intellexisse, qui & vires habeat naturaliter suo mobili attemperatas, & à quo mobile ex proprietate suæ naturæ regi aptum est, quomodo & Plato corpus ab anima inhabitari decernit. Quod enim cœleste corpus à nulla anima tãquam forma viuificetur, tali ratione mihi persuadeo. Tradunt Physici formam esse materiæ finem, nec materiæ causa formam effici, sed materiam cum omnibus suis affectibus ad formam destinari. Idque eorum quæ arte fiunt, exemplis declarãt. Non enim serra propter ferrum existit, sed contra potius ferrum ad serram referri solet: vsque adeò, vt si instrumentum illud citra materiam fieri & suum munus peragere valeret, è ferro ipsum construi opus non esset. Quæ cum ita sint, nisi aliquid à corpore cœlesti ad suas functiones obeundas adiumenti accipiat ea anima, quæ cœlos mouerę dicitur,

Contarenus & Riccius.

Cœlũ quo sensu animatum.

Plato in Alcibiade.

Lib.2.Physico.cap.9.

non debet sine vlla necessitate ac fructu materiæ contagione fœdari. Cùm igitur tria sint animæ officia præcipua, augere & & nutrire corpus, sentire, & intelligere, quid horum erit, quod cum per se subsistés agere nequit, cœlo alligata facilius exequetur? An augere & vegetare corpus quod inhabitat? Sed hæc officia in corpore immortali, alterationisque minimè capaci locum non habent. Idque tam firmiter cunctis hoc seculo persuasum est, vt risum non teneant discipuli nostri, cum ex Plutarcho referimus, ideò Stoicos opinatos esse Solé ad septentrionem ac meridiem euagari, quod si idem iter perpetuò relegeret, in eo non satis alimenti inuenturus esset. An verò sensus causa in corpus ea anima demersa est? Sed neminem opinor tám malè sanum fore, vt cœlum vel oculos vel aures habere, vel vllis sentiendi meatibus perforatum esse dicat. An denique vt contemplationi veritatis incumbat. necesse fuit ipsam in corpus detrudi? Sed mens est facultas à corpore separata, & quæ sine corporeo instrumento suum officium facere potest; nisi fortè sit humanę similis, quæ rerum cognitionem à phantasia & sensibus emendicat. Verùm si tam imperfectam cœlo animam inhærere dicimus, iterum ad prius illud absurdum reuoluemur,

De placitis Philoso. phorum.

& quemadmodum in homine ita & in cœlo vias quasdam, per quas rerum species ad animam deferantur, patere statuemus. Sed erit fortè aliquis, qui motorem cœli, si non ob aliam causam, saltem vt cœleste corpus mouere queat, cœlo affigi debuisse contendet. Verùm neque illam rationem vllius ponderis esse ex eo perspicitur, quod nullum corpus etiamsi quam maximè animatum sit, seipsum mouere possit, nisi distinguatur in partem mouentem & motam, hoc est, quarum vna per se moueat, & non nisi aliena vi moueatur, altera per se moueatur tantum, & non simul motum efficiat. Quas partes quisquis in cœlesti corpore designare voluerit, haud dubium, quin se omnibus cordatis ridendum propinaturus sit. Neq; enim hic suffecerit animam & corpus vel formam & materiam proferre, nam ea ratione quoque grauia & leuia in partem mouentem & motam facile esset dispertiri.

Aristot. ca. 5. lib. 8. Physi.

Quare cum hoc neget Aristoteles, non partes substantiales, sed integrantes intellexisse conuincitur. Præterea omnis motus, qui ab anima fit, p partes duntaxat fieri solet. Verbi causa, si manus mouetur, necesse est brachium quiescere, brachij verò motus humeri quietem requirit, & ita deinceps. Neque enim potest quisquam pro voluntatis suæ

arbitrio ſimul totum ſuum corpus loco mouere, niſi longè petito conatu vim ſibi inferat, quod faciunt ij, qui foſſas tranſiliunt. Atqui cœlum totum ſimul in orbem voluitur, nec vllam habet ſimilitudinem illius circuitio, cum eo motu, quem in animalibꝰ ab anima proficiſci videmus. Non igitur illius cauſa cœlum animatum fingere oportebit. Inſuper cum in ſuperioribus demonſtratum ſit, cœlum ex naturali appetitu nequaquam moueri, vel igitur ſenſitiuus appetitus, vel rationalis ipſum impellet. Non enim plura ſunt interna motuum principia, quàm ij tres appetitus. Atqui ſenſitiuus appetitus nunquam ſine ſenſu reperitur: cuius cum cœlum capax non ſit, neque appetitus ſenſitiui capax erit. Reliquum igitur eſt, vt à rationali appetitu circunferatur: is verò cum inſtrumento corporeo ad ſuam actionem non indigeat, non oportuit cœli motorem, quò expeditius ſuum munus obiret, cum cœli corpore velut formam coniungi. Porrò ſi abſolutus eſt à cœleſti corpore, qui illud in orbem contorquet, mox eundem & incorporeum eſſe conſequitur. Nam vt Epicurei poſteaquam Deum finxiſſent corporeum non malè deinceps quærebant, vbi is conſiſtere potuiſſet, cum vniuerſi molitionem aggrediebatur, ita & nos ſi quiſquam

cœlorum motores materiatos & corporeos arbitretur, ex eodem sciscitabor, quęnam ipsis intermundia, in quibus consistāt, attribuemus, cum propter suam corpulentiam non valeāt illud spatium quod à mobili occupatur insidere. Quodsi ergo ipsos ne inter cœlestes spheras vllam vacuitatem statuere cogamur, aut si vnus sit omnium cœlorum motor, ne is extra mundum excludatur, liberos à corporea concretione fatemur, neque integrum nobis erit, num intelligentia prȩditæ sint, dubitare. Vt enim supra quoque admonui, quicquid est per se intelligibile idem & intelligens, auctore Aristotele, haberi debet.

Quod ex pracedentibus inferri possit, cœlum diuina gubernationi subiacere.

CAPVT VIII.

HIS iactis fundamentis via patefacta ad probandum, cœlestes orbes diuina prouidentia regi. Vel enim ab vna mente impulsa sidera tam varios gyros ac circuitiones absoluunt, vel, vt mauult Aristoteles, quisque motus à proprio quodam motore peragitur. Si vnus omnium motionum auctor ponitur, Deus proculdubio is erit. Nam substantia incorporea, quæ

simul

ſimul tot locis præſens eſt, tamque vaſtum ſpatium complet, quàm eſt illud, quod inter ſupremum & infimum cœlum interiacet, tot denique immenſę molis orbes tam varijs & contrarijs motibus ciere poteſt, infinitæ virtutis & maieſtatis ſit neceſſe eſt, ac proinde DEVS. Sin magis arridet quemque motum à peculiari quodam motore proficiſci, quęro num in ea intelligẽtiarũ multitudine quiſpiam principem locum obtineat, ac cæteris agenda præſcribat. Si ab vno ſummo pręſide gubernari negentur, vnde quęſo fit, vt votis tam concordibus in vnum conſpirent, nec aliud per tot annorum milia ſibi propoſitum habuiſſe animaduerti poſsint, quàm vt mundus in optimo ſtatu perſiſtat, annorum, menſium, dierum, aliorumq́ue temporum eadem deſcriptio perſeueret? Si ex natura quendam ad ſuos orbes, eorumq́; motus ordinem habent, quod Philoſophis placere video, is ordo nequaquam fortuitus exiſtet? Etenim prorſus incredibile eſt res, quarum tam ſunt diuerſæ naturæ, inconſulta temeritate ita inter ſe quadrare, quaſi vna alterius cauſa effecta ſit. Si verò diuino conſilio conſtitutus eſt is ordo, Dei ergo prouidentia cœli reguntur. Quodſi magis probabile videtur, ex natura ſua ad cœli motum intelligẽtias deſtinatas non eſſe, neque tunc

nobis argumenta deerunt, quibus vni supremo rectori subiectæ esse doceantur. Nam si ad perfectionem naturæ ipsorũ nihil intererat, cœlestes orbes versarent necne, quomodo tãta animorum vnitate, & promptitudine in commune consulendi primum inter se cõiũgi potuere, deinde p tot secula inuiolabilem concordiam retinere, nisi vnus aliquis in inuisibili illo spirituum regno præsideat, qui immensa virtute singulis adesse, leges mouendi ferre, facultates & sapientiam tanto oneri necessariam impertiri, & sui amore ac reuerentia, ad capessenda libenter iussa inuitare queat? Atque hic rursum non alius quàm DEVS erit.

Esse quosdam alios spiritus, qui cœlo non adhærent, sed inter homines versantur.

CAPVT IX.

TAntò sunt Epicureis meliores ij, qui se Aristotelicæ disciplinæ sectatores profitẽtur, quòd cum Epicuri familia nihil incorporeum velit agnoscere, Aristotelici non negent, quin à spiritibus & à materia separatis naturis cœlum moueatur. Verum vtrorunque communis error est, quòd nulli in sublunari hoc mundo spiritus reperiãtur, qui se negotijs humanis immisceant. Hac igitur de re, quia non parum ad sanam

de

de mundi regimine sententiam momenti habet, nũc differere operepretium erit. Primum igitur de huiusmodi spiritibus sub dęmonum seu geniorum appellatione, pleni sunt omnes veterum poetarum & sapientum libri; vt videre est apud Eugubinum de perenni Philosophia, vbi Orphei, Homeri, Sibyllarum, Chaldæorum, aliorumque quam plurimorum de ijs testimonia recenset. Quæ cum hîc repetere non sit necesse, tantum historica documenta nonnulla, quæ vel ex fide dignorum relatu accepi, vel ex probatæ fidei scriptoribus collegi, in gratiam eorum, qui adhuc tyrones sunt in historię cognitione, huc apponam. Hęc autem iuuãdæ memorię causa in tria capita digessi, quorum primum continebit phasmata ex improuiso hominibus oblata, vocesque ab incerto auctore profectas; secundum ea, quę in cultu simulachrorum prodigiosa euenerunt; tertium, opera quædam ab hominibus fieri visa, sed humanas vires longè superantia. Primi generis exemplum esto, quòd de Socrate omnes scribũt, eum videlicet familiarem quẽdam dæmonẽ habuisse, cuius ipse vocem duntaxat pcipere, formã verò & speciem nequaquam videre solitus erat; atque hoc eum duce & cõsultore in rebus gerẽdis perpetuò vsum esse. Itaque cum ab Atheni-

ensibus

ensibus Lachete prætore ad Delium infeliciter pugnatũ esset, ipsum à dæmone admonitum, ne eadem, qua cæteri, via fugeret. Hunc eo modo saluum euasisse, eos verò q alia via fugerãt, in equitatum hostium incidisse. Auctor Cicero 1. de diuinatione. Idem in apologia apud Platonem de suo dæmonio sic loquitur: ἡ εἰωθυῖα μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου, ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν, καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν. ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ, οὔτε ἐν τῷ λόγῳ οὐδενὶ, μέλλοντί τι ἐρεῖν. Id est, consueta diuinatio genij omni superiori tempore admodũ frequens erat, etiam in minutis rebus mihi obsistens, si quid non rectè facturus essem. Nunc autem neque manè cum domo exirem, DEI signum me retraxit, neque cum huc ascenderem, neque in vlla meæ orationis parte. Cùm Paulus Aemilius insignem de Persa Macedonum rege victoriam reportasset, eodem die in Italia bini adolescentes in equis cuidam Vatinio obuiam facti, hanc exercitus Romani victoriam ei nuntiarunt. Is quod audierat, mox ad senatum defert. Verùm quia nullum certum istius nuntij auctorem proferre poterat, veluti senatoriæ maiestatis contemptor in carcerem coniectus

Paulus Aemilius.

ctus est, donec ab Aemilio allatæ literæ essent, qbus idem significaretur. Creditum est igitur Castorem & Pollucē Vatinio apparuisse. Sic Valerius Maximus, Liuius, Lactantius, & plures alij. Plinius iunior libr. 7. epistolarum refert, suo tempore Athenodorum quendam Philosophum Athenis domum vilitate pretij illectum conduxisse. Nemo enim illas ædes propter spectrum quodam isthîc apparere solitum, inhabitare audebat. Posteaquam verò in eam domum immigrâsset, spectrum illud noctu ad ipsum lucubrātem accesśit, & cathenam, quam gestabat, supra caput eius concusśit, insuper & digito ipsum ad se inuitauit. Idque cum aliquantisper fecisset, eodem in loco semper euanescebat. Illîc igitur cum fodi Athenodorus iusśisset, cadauer hominis simili cathena vincti repertum est. Quo inde sublato, desijt hoc quicquid fuit terriculamenti in illis ædibus apparere. In eadem epistola narrat, ad puerum suum cubātem per fenestras venisse quosdam in albis tunicis, eumque detondisse, ac deinde qua venerant recesśisse. Hunc tonsum, sparsosque circa capillos dies ostendit. Atque prius quidem illud de Athenodoro affirmantibus se credere ait, hoc se alijs affirmare posse. Plutarchus libello de oraculorum defectu, ait Epither-

Lactant. li. 2. cap. 16.

Epistola ad Suram.

se

ſe patre Aemiliani Rhetoris quondam in Italiam nauigantē, quando iuxta Echinadas ventum eſſet malaciam ac tranquillitatem extitiſſe. Cumque vectorum plerique vigilarent, à Paxis inſula delatā eſſe vocem, quæ Thamum gubernatorem Aegyptium nominatim euocaret, eiq́ue negotium daret, vt cum ad Palodes veniſſet Pana mortuum clamaret. Omnibus rei nouitate attonitis, atq; num parendum eſſet conſultātibus, tandem decernit Thamus, ſi ventus vehemēs nauem impelleret, prȩteruehi ſilentio: verum ſi trāquillum mare eſſet, imperata facere. Proinde cum venti ipſis ad eum locum delatis cōſileſcerent, clamat, vti iuſſus erat, magnum Pana mortuum. Quàm vocem continuò luctus & admiratio multorum ſubſecuta ſunt, & toto pelago ab occultis auctoribus editi planctus exaudiebantur. Cùm autem Romam, qui ea naui vehebātur, veniſſent, Tyberium Cæſarem de tam inuſitato prodigio certiorem faciunt, qui literatos ad ſe accerſens, quiſnam ille Pan eſſet, ex ijs ſciſcitatus eſt. Idem Plutarchus in vita M. Bruti ſcribit eidem lucubranti idolum apparuiſſe, quod cum Brutus quis eſſet percontaretur, reſpōderit, ego ſum malus tuus genius; Philippis iterū me videbis. Dioni Syracuſano refert idem muliebris formæ imaginem noctu apruiſſe,

Magnus Pan.

ruiſſe,

paruiſſe, quæ pauimentum ſcopis verrebat. Conradus Celtes libro 10. exegeſeos Germaniæ tradit eſſe quendam Noruegico mari circunſeptum montem, Hecelberg nomine, quem perpetuò vultures ac nigerrimi corui horrendo clamore circunuolant. Addit præterea eiulatus in eo tantos audiri, vt per vnum miliare clamor diffundatur.

Mōs Hecelberg. Eadem Surius, & Picus de prænotionib9, qui & ſpectra ibi hominibus frequenter occurrere aiunt.

Petrus Martyr Anglerius libr. 9. decadis primæ oceaneæ, dicit occidentalibus Indis ſpiritus quoſdam ea forma, qua apud nos lemures pinguntur, ſe conſpiciendos præbere, quos illi Zemes appellant, & tanquam ſummi DEI miniſtros colunt. Eorum quatuor imagines ex goſſampio confectas ſe vidiſſe teſtatur. Alexander Neapolitanus lib. 5. genialium dierum capite 23. ait, ſuis in ædibus nocturno tempore non ſemel hominis ſpeciem, ſqualida facie, vultu minaci, nigro corpore, aſpectu formidabili, nomen ſuum exprimentem, & opem implorantem viſam eſſe. Ac Nicolaum Tubam virum multæ & expertæ fidei cum nonnullis doctis iuuenibus ad ſe acceſsiſſe, vt num verè ita ſe res haberet intueretur. Cùm verò hac de cauſa noctem ſecum peruigilem ducerent, ſpecies illa dira aduenit, ac omnia gemitu funeſto miſcere cœpit. Cumque illi propius ad ipſam accederent, illa retrocedebat, & queru-

la voce lumē effugere videbatur. Idem cum alio tempore in lecto insomnis cubaret, eminus idolum illud appropinquare, & cubiculi fores pulsare sensit. Nec multò post introijsse per commissuras & rimas ostij, ex suo alumno è regione cubanti intellexit. Idque cum illi foribus occlusis fieri non posse videretur, simulacrum quod sub lecto iacebat, manum protendere, & candelam extinguere visum est. Cumque ad tumultum, quem in cubiculo Alexandri excitabat, socij accurrissent, ipse aperto manibus ostio foras effugit. Ac spiritus quosdam sub persona defunctorum omnibus seculis non solum in horridæ noctis tenebris, verum etiam in meridiana luce obtutibus humanis se præsentasse, tam multorum testimonijs probari potest, vt, qui id inficias ire haud veretur, non tam argumentis, quàm flagris indigeat.

FR. Picus Mirandula lib. 7. de prænotionibus cap. 4. fœminam quandam in Germania postquam multos menses defuncta fuisset, assumpto aëreo corpore apparuisse, & cum mille ferè testibus diuersis temporibus collocutam esse refert. Idque se ex ore tum Cæsaris Maximiliani, tum Mathęi Longi eiusdem secretarij audiuisse commemorat: qui cum Episcopo quodam iussu Cæsaris ordinem rei gestæ, & testium responsa notauerat.

tauerat. Nostro æuo rusticus quidam ex pago occidētalis Frisię VVingeterp vsq; in Frisiam orientalem à quodam qui se hominis animam esse dictitabat, repentè translatus fuit. Is se diebus aliquot in ignota regione versatum esse,& multa inibi stupenda vidisse narrabat. Huius rustici sua visa narrantis fama exciti multi homines, vt certius rei veritatem explorarent, ad eum proficiscūtur, ex quibus vnus mihi se ex eius ore quicquid supradixi,& multò plura se accepisse confirmauit. Et nihil tota Frisia vulgatius, quàm rusticum illum à spiritu quodam in vicinam prouinciam transuectum fuisse. Denique nulla regio, imò nulla vrbs, aut vicinia reperitur, quæ non singulis ætatibus aliquò spectri apparētis ostento perturbetur. Multa quidem ex inani metu vulgus imperitum se videre fingit, quę nulla sunt: atq; idcirco nō promiscuè omnes hoc genus narrationes in circulis iactatas recipere vir grauis debet; sed quia nonnulla phasmata longo tempore etiam ab hominibus non nimium credulis visa esse multis testibus probari potest, qui in tanta rerum euidentia adhuc assensum retinet, is non tam id, quod per se notissimū est, sua tergiuersatione obscurat, quàm insignem suam prodit impudētiam. Ad præsens caput etiam referri possunt spirituum illo- Dęmones incubi,

P rum

rum ſubitæ apparitiones, qui fœminarum pudicitiæ inſidiari dicuntur.

Cap. 25. De quibus D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei huncin modum ſcribit: Creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Siluanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & eorum appetiſſe ac peregiſſe concubitum. Et quoſdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſsiduè immunditiam & tentare & efficere, plures, taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. Fuit, & Louanij, cum iſthîc agerem fœmina quædam à dæmone ad concubitum ſollicitata, vt ex eius domeſticis, quorum eſt apud me indubitata auctoritas, cognoui. Horum vnus mihi retulit, fœminę huic ſe pręſente alapas tãto impetu inflictas eſſe, vt plagæ ſtrepitus à circunſtantibus audiretur, nemine conſpecto, qui illam infligeret. Item candelam cõſecratam, qua dæmonem ſe abigere poſſe ſperabat, manu ſe tenuiſſe, eamq; in multas partes ab eo, qui non videbatur, comminutam fuiſſe. Ac multi vſque hodie ſuperſunt, quos huius rei teſtes, cum erit opus producere poſſum. Inſuper auctores libri, qui Malleus maleficarum inſcribitur, crebrò ſe tali-

um mulierum inquisitioni præfuisse affirmāt, quæ fatentes à spiritibus se compressas, propter id facinus viuæ crematæ sunt. Hinc etiam tot apud veteres semidei seu heroes extitere, qui altero parente Deo orti credebātur, quòd spirit9 illi de qbus nūc agimus, eorum generationis ministri fuerant. Quod illis non esse difficile seminibus collectis, & assumpto aëreo corpore, theologi in enarratione secundi Sententiarum ostendunt. Huc etiam prodigiosi euentus pertinent, quos ethnici in præsagium alicuius futuri vana ominatione trahebant, cum nihil aliud quàm dæmonum pręstigię fuerint. Primum haruspicina ex viscerum in hostijs diuerso habitu, bellorum successus prænuntiare conabatur. Quędam igitur occulta, & minimè naturalis in iecore, corde, pulmone, alijsque partibus mutatio, dum hostiæ non litarent acciderat, quandoquidem aliâs in sanis bestijs eiusdem speciei nulla viscerum diuersitas inueniri potuerit. Quæ autem eæ notæ futurorum extiterint, non semper tacent historici. Itaque Cæsari paulò antequam interficeretur, sacrificāti in extis opimi bouis cor defuisse memoratur. Marcellus cira tempus, quo cum Hannibale congressus occubuit, hostiam cęcîdit, in cuius extis iecur desiderabatur; sequenti deinde die in alia ge-

Heroes vnde.

Cicero eius cōtemporaneus 1. de diuinatione.

minum repertum est. Defuit & Caio Mario iecur, cum immolaret Vticæ. Item C. Caligulæ, cum iniret consulatum, quo anno interfectus est. Hęc & plura alia Plinius lib. 11. historię naturalis capite 36. quę non est opus hîc recensere, quod passim in historijs talia fibrarum portenta occurrant. Ad secundum igitur caput narrationum nunc transeundum est.

Ex idolorum miraculis idem confirmari.

CAPVT X.


Dolis gentium prȩfuisse quosdam gėnios primum nobis argumento sit, quod in multis eorum fanis oracula & responsa de rebus occultis reddi solebant. Ac Delphis quidem id factum esse, ipsius oraculi celebritas testatur. Nisi enim illic vis quædam humana maior ex tripode respondentem Pythiam, de occultis erudisset, nũquam ille locus à Græcis, Romanis, & barbaris adeò frequentatus fuisset, nũquam tot regum & populorum donarijs cumulatus. Et rectè Cicero ratiocinatur, quia suo tempore cum defecisset hoc oraculum, celebre esse desierat, olim cum in tanto pretio erat, mirandis quibusdam prædictionibus diuinitatis famam collegisse. Et quamuis ea

Oraculum Delphicũ.

1. de diui. natione.

ratio abũde declaret, dæmonem quẽdam illud χρηστήριον gubernâsse, vnum tamen exemplum ab Herodoto narratum, quod mirificè hanc rem illuſtrat, præterire non poſſum. Crœſus inquit Herodotus, vt fidem oraculi Delphici exploraret, legatos eò miſit, quid Crœſus ageret, rogaturos. Cumque ex itineris ratione illos iam Delphis eſſe cõiectaret, teſtudinem vna cum agni carnibus in æreo lebete, cui & æreum operculum impoſitum erat, coquere cœpit. Sciſcitantibus igitur legatis quid Crœſus ageret, Pythia reſpondit.

οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης

καὶ κωφοῦ συνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.

Ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης

ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσι

ᾗ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δὲ ἐπιέσται.

Hanc diaboli iactantiam Sãcti Patres valdè exagitarunt.

Id eſt, Noui ego arenæ numerum & menſuram pelagi, & ſurdum intelligo, & non loquẽtem audio. Odor verò teſtudinis politi meæ menti occurrit, quæ in ære coquitur cum agninis carnibus. Et æs quidem ſubiacet, ac ſuperimponitur. Huiuſmodi fuere Apollinis Delphici reſponſa; quare nullum hîc locum habet ſuſpicio, quę nonnullos ſollicitos habet, an videlicet fraude ſacerdotum confictã fuerint. Quomodo

quæso sacerdotum figmenta fuere, quę Pythia respōdebat, cum notissimum sit, illam simul atque tripodem conscendisset, mente excessisse, & bacchico furore correptã, etiam à se minimè intellecta effutijsse? Conati quidem sunt Philosophi causam huius rei naturalem afferre, vt ex libello de mundo ad Alexandrum perspicitur, verùm nemo de sacrifiiorum impostura mentionem fecit. Solus, quod sciam, Demosthenes questus est, suo tempore Pythiam φιλιππίζειν; verum si vnum aut alterum suppositititium oraculum è tripode emanâsse concedatur, idcóne tot milia, quibus nulla fraudis suspicio subesse potest, conficta dicemus? Quomodo fraus illa tot seculis deprehendi non potuit?

Huius Apollinis etiam quædã de Christo oracula circumferuntur.

Adhęc apud Dodonam in Molossorum regione statua quædam Iouis, virgam manu tenens lebetes æneos percutiendo diuinabat. Ibidem è querceto responsa de rebus ignotis reddebantur. Apud Branchidas octodecim stadijs à Mileto Dyndimæi apollinis oraculum fuit, vbi cum sacerdotes halitum ex aqua ascendentem ore captassent, vaticinari incipiebant. Argis quoque, Lebadiæ, Colophone olim celebria Dæmonum oracula fuerũt, de quibus inter veteres Pausanias, inter neotericos verò Alexander Neapolitanus libro 5. genalium dierum, accu-

ratissimè

ratiſsimè ſcripſerunt. Porrò de oraculo MOPSI, quod in oppido Ciliciæ cui nomen erat μόψου ἑστία, fuiſſe dicitur, digna memoratu hiſtoria in libello Plutarchi de oraculorum defectu legitur. Eſt autem huiuſmodi. Epicureus quidam, oraculis fidem nō habens, libertum ſuum ad Mopſi oraculum ablegat, ſcitatum quid acturus eſſet. Huic in eo loco dormienti, vbi reſponſa reddebantur, per quietem viſus eſt quidam apparere, qui cum nigrum dixiſſet, mox diſceſsit. Idque domum reuerſus patrono ſuo nunciat. Tunc ille tabellam, quam ſecum Libertus attulerat reſignans, oſtendit in ea ſcriptam fuiſſe hanc quæſtionem: Albúmne tibi an nigrum taurum immolabo? Cùm igitur Mopſum ſuę quęſtioni reſpondiſſe animaduertit, plus deinceps fidei oraculis tribuendum eſſe cenſuit. Adde his quæ de Api Plinius libr. 8. cap. 46. refert. Bos, inquit ille, in Aegypto numinis vice colitur, quem Apin vocant. Hic reſponſa dat è manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum auerſatus eſt, haud multò poſt extincti. Quum ſe prorupit grex puerorum comitatur carmen eius honori canentium, quod intelligere videtur, & adorari velle. Per dies ſeptem quibus eius natalis celebratur, nemo à crocodilis attingitur. Hęc de api

Plinius. Fuit & celeberrimum Iouis Ammonis oraculũ in deserto Libyæ, vbi statua ipsius in aurata naui à sacrorum antistite circunferebatur, ac postquam patrium quoddam carmen ei cecinissent, non aliter atque si illis vocibus delinita esset, nutibus & subobscuris signis, quę soli sacerdotes intelligerent, ad interrogata respõdebat. Talia enim de hoc oraculo Strabo, & Diodorus Siculus memoriæ prodiderunt. Non minus portentosum est, quòd de Apollinis statua in hierapoli Syriæ Lucianus ait se non ex alijs audisse, sed αὐτοψίᾳ comperisse. Verba eius à nobis è Gręco conuersa hęc sunt. Multa sunt apud Aegyptios & Græcos oracula. Sed ea neque sine sacerdotibus, neque sine vatibus loquũtur: Hic verò (de Apolline Hierapolitano loquitur) ipse mouetur, & prædictionem ipse per se exequitur. Modus autem eius talis. Cùm oracula edere vult, primum in sede sua mouetur. Cùm verò ipsum in humeros tollunt, ducit ipsos quaqua versum agitans, & ex vno in alterum insiliens. Tandem antistes occurrens de quibusuis ipsum interrogat. At is si quid fieri nolit, retrò recedit, si verò annuit, baiulos ad progrediendum impellit, ac eorum gressum velut auriga moderatur. Et sic quidem oracula concinnat, nec sacrum quicquam aut priua-

Lucianus lib. de Dea Syriæ.

tum sine ipso aggrediuntur. Et paulò post. Dicam verò & aliud, quod ab illo me præsente factum est. Sacerdotes ipsum attollentes gestabant, ipse verò eos humi relinquens in aëre solus ferebatur. Hactenus Lucianus. Ibidem refert singulis annis caput quoddam à ventis sine vllius hominis auxilio Byblum phęnicię ciuitatem, rectà ex vicino pelago deferri consueuisse, idque se præsente accidisse. Ne autem de solis oraculis dicamus, nunc alia quædam idolorum miracula recensenda. Eusebius libro 7. historiæ ecclesiast. cap. 16. secundum Græci exemplaris distinctionem, auctor est, apud Paneadem, quæ alio nomine Cæsarea Philippi dicebatur, hostiam in quodam fonte submersam, non amplius comparere solitam. Asterium verò insignem Christi confessorem Deum orasse, vt ijs præstigijs simplici vulgo non amplius illudi sineret, moxque erupisse hostiam, & se denuo conspiciendam præbuisse. Lactantius libr. 2. diuinarum institutionum capite 8. tradit fortunæ muliebris statuam Romæ bis locutam esse; & Iunonis monetæ simulacrum, cum captis Veijs à militibus Romam transferendum esset, interrogatum num Romam ire vellet, respondisse volo. Refert Herodianus libr. 1. statuam matris Deum quæ Pessinunte allata erat,

Asterius.

Iuno moneta.

ta erat, de cœlo lapsam fuisse, & ignota materia constitisse. Hæc est illa statua, quæ cum ex Pesinunte Romam veheretur, naui vado Tyberini fluminis adhærente, nulla inde vi dimoueri potuit, donec Claudia quædam Vestalis de impudicitia suspecta, cingulum suum nauigio alligans, Deam illam rogaret, vt, si casta esset, suum cingulum sequeretur. Leguntur & gentium idôla nonnunquam sudore manâsse, nonnunquam ad locum vnde translata erant sua sponte remigrâsse. Penates dij, qui ex Troiæ incendio seruati Lauinium venerant, cum inde Romam translati essent, postea Lauinium redierunt. Herculis simulacrum ex Tyro Phœniciæ ad Erythræos sponte profectum esse Leonicus lib. 1. de varia historia tradit. Olim Agrigenti in colle Vulcani ligna vitea super aram structa, etiamsi virerêt, per se ignem concepisse, idque signum propitij dæmonis fuisse, Solinus cap. 11. Polyhistoris narrat. Apud Diodorum in fine libri 11. miraculum fontis Paliciorum in Sicilia describitur. Dicit enim lites illic terminari consuetas iuramento ad fontem deposito, periuros autem euestigio pœnas dedisse. Fecit & Aristoteles huius fontis mentionem in libris de animalibus. His andiungi possunt & supplicia illorum, qui fana idolorum expilâ-

Idæa mater

Penates.

Collis Vulcani.

pilârunt, vel quacunque alia ratione gentium falsas religiones volârunt. Quo in genere admodum mirandum est, quod de tribus illis Phocésium ducibus Oenomao, Philomelo & Phayllo Diodorus in bibliotheca historica refert, & Philo Iudæus non contēnendum diuinæ prouidentiæ documentum esse voluit. Fuere hi præcipui auctores istius direptionis tēpli Delphici, quæ Philippi Amyntę filij Macedonū regis tempore à Phocensibus perpetrata est. Cùm verò leges Græcorum in sacrilegos vel præcipitio, vel submersione, vel igne animaduertēdum esse decernerent, contigit vt inopinato quodam euentu hoc triplici genere suppliciorum tres illi sacrilegi interirent. Vnus enim de alta rupe in præceps delapsus ceruices fregit; alter ab equo indomito cui insidebat ad mare abreptus, fluctuum superuenientium inundatione obrutus est; tertius itidem in quodam templo concrematus fertur. Hæc cum fortuitò accidisse nemo nisi contētiosus dicturus sit, dæmonibus igitur sui contemptum vlcisci, volentibus assignari debent. Maximè cum fœminæ, quæ id temporis pepla & donaria veterum heroinarum eodem è templo surripuerant, mala morte omnes perijsse scribantur. Notissimum quoque est ex Liuio, & alijs rerum Romanarum scriptoribus,

Pœnæ violatarum falsarum religionū.

Philo de prouidētia citatus ab Euseb. lib. 8. de præparatione.

am specum ingressus, dæmones ad se vocauit, qui tam terribiles illi visi sunt, vt homo cruci inimicissimus, sui oblitus ad eius signi præsidium confugerit. Hæc de illo Nazianzenus orat. 1. quam cõtra ipsum habuit. Ideò autem plus fidei huic narrationi tribuendum est, quod notissimum sit ipsum Magiæ impensè deditum fuisse, adeò vt in libro quem contra Christianos scriptum Cyrillus refutauit, dicat, quia suo tempore admodum rarò dij apparerent, ideò artis Magicæ subsidio eos aduocandos esse. Refert Munsterus Fridericum Austriacum, qui Ludouici Bauari in Imperij petitione æmulus fuit, cum ab eodem Bauaro captus & carceri inclusus esset, à dæmone, qui ad ipsum viatoris specie veniebat, admonitũ esse, vt si liberari vellet, se sequeretur. Frater enim Friderici Leopoldus magicis carminibus dæmonem sollicitauærat, vt fratrem è captiuitate eriperet. Sed noluit sequi Fridericus. Francis. Picus lib. 7. de prænotionibus, Sacerdos quidam, inquit, & alius dæmonum familiaritate delectati sunt, quorum ille ab ipsis suffocatus & in fossam proiectus est, hic autem viuus paucos ante menses raptatus ad montem. Idem lib. 4 cap. 9. sic scribit: Allocutus sum plurimos, qui vana spe futurorum delusi, ab apparente sibi dæmone per

inita

inita pacta vocato, adeò ad finem vexati sunt, vt optimè sibi actum putauerint, ne vitam amiserint. Alium audiui ab eiusdem socijs, qui viuunt adhuc, à dæmone 50. fere ab hinc annis, viuum asportatum nusquam comparauisse, dum curioso cuidam & malè sano principi Troiæ oppugnationem repræsentare, quasi in scena pollicitus esset, Achillemque & Hectorem inducere præliantes; & multis tamen id quærentibus irritum negotium euenit. Hæc Picus. Henricus Agrippa Magus nostri temporis dæmone in cane latente perpetuò comitatus incedebat; nisi fortè is dæmon fuerit canina specie. Nam circa obitum Agrippæ canis ille se Lugduni de ponte in flumen præcipitem deiecit, nec vsquam deinceps comparuit. Narrauit mihi quidam familiaris, de cuius fide nihil dubito, se Magum pædagogũ habuisse, qui cum non ritè magicas adiurationes recitasset, tanto capitis ardore conflictatus fuit, vt caput in vrnam aquæ mergere compulsus sit. Idque cum eius parentes resciuissent, noluisse eum diutius in suis ædibus tolerare. Nec aliud quàm dæmonum aduocatio est illa, quæ à Græcis necromantia dicitur. Non enim existimari debet animas defunctorum vllis carminibus ad nos reuocari posse. Porrò viguisse, & adhuc vigere inter homines

Henricus Agrippa.

Paulus Iouius in Elogijs.

Necromãtia.

hoc

hoc diuinationis genus, non solum ex eo colligitur, quòd mortuos consulere tam seuerè prohibeat vetustissima lex Iudæorum, quòdque Samuel in regnorum libris à Pythonissa ab inferis excitatus refertur, verum etiam quia Lactantius suarum Institutionum libr. 7. cap. 13. ait, eos, qui hoc negarent, ipsis rerum testimonijs refelli posse. Epicurus, inquit, Democritus, Dicæarchus, non auderét de mortalitate animi mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus ciere animas ab inferis, vt adsint, & præbeant se humanis oculis videndas, & loquantur, & futura prædicant. Idem Iustinus martyr in secunda Apologia pro Christianis affirmat. Qui auctores quamuis in eo labantur, quod animas ab inferis euocari crediderunt, non tamen adeò confidenter id ausi fuissent asseuerare, nisi magi spiritus quosdam personam defunctorum referentes humanis obtutibus præsentarent. Denique celebris fama est, ante nostra tempora fuisse homines, qui in publicis scholis hanc artem ciendi animas certa condicta mercede docerent. Nunc si quis præstigias & miranda magorum opera contempletur, sine dubio hæc ei maiora videbuntur, quam vt ab homine præstari queant. Quænam autem sint illa magorum portenta, ex subiectit exemplis

Lactantius

perspi-

perſpicietur. Primum grauiſsimas ægritudines ijs, quibus infenſi ſunt, aliquando infligunt. Nam Antonius Beniuenius libro de abditis morborum cauſis, teſtatur mulierem quandam vomuiſſe æneos acus, capillos, clauos recuruos, quæ cum nulla humana vi in eius viſcera immiti potuerint, dæmonum opera, id factum eſſe non dubitatur. Scotorum regem Duffum ſcribit, Hector Boëthius, olim lenta quadam tabe conſumptum fuiſſe, quæ nullis remedijs curari poterat. Cumque de ipſius ſalute ferme deſperatum eſſet, rumor increbuit, regem maleficijs appetitum eſſe à quibuſdam mulieribus, quæ in Forres oppido Morauiæ degerent. Quidam igitur ad locum deſignatum, vt rei veritatem explorarent, ablegati, maleficarum fores clauſas inuenerunt; quibus effractis, viſa eſt vna earum cęream regis imaginem, ad ignem torrere, altera verò dum q̄ dam carmen demurmuraret, oleo ipſam perfundere. Comprehenſæ igitur & quæſtionibus ſubiectæ, confeſſę ſunt, dum ſimulacrum igne excoqueretur Duffum regem in ſudorem ſolui, carmine recitato vigilia torqueri, & liqueſcente cera macie contabeſcere. Submota verò hac imagine, & veneficis ſupplicio affectis, propediem rex conualuit.

Duffus rex

11. Rurſum ægrotos nonnunquam morbis le-

uant.

uant. Nam auctor est Ioannes Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis, se vidisse, per chartulam collo subnexam, icterum vna nocte toto corpore detergeri. Item febres verbis & ritibus quibusdam profligari, quæ tamen postea multò deteriores recurrerent. Addit vidisse se, qui sanguinem ex quacũque corporis parte fluentem, partis ipsius contactu, & verborum quorundam murmure sisteret. Horum autem nihil vi naturali factum esse liquet. Visum effascinant, vt secundum illud Alcimæonis, cor cum oculorum aspectu non consentiat. Apud Saxonem Grammaticum libro 5. historiæ Danicæ, mulier quędam Craca nomine dapes opiparas in effigiem serpentum cõmutat. Apud eundem Finni ab hostibus victi, bis præstigijs in pacatum euaserunt. Semel enim instante à tergo victore exercitu tribus in eum coniectis lapillis, trium montium phantasiam ipsi ingessere; quos cum se transcendere posse desperaret, finem persequendi fecit. Aliás fusi, fugatiq́;, fluminis cuiusdam specie hostem vestigijs hærẽtem ludificati sunt. Cùm enim ad eum vsque fugientes insecutus fuisset, tanquam intercluso itinere, pedem referre coactus est. De Simonis Magi præstigijs multa stupenda referunt Ecclesiastici scriptores; quæ minimè conficta esse statua illa III.

 testatur,

testatur, quæ ipsi Romæ posita est, cum hac inscriptione, SIMONI DEO SANCTO. Nisi enim fidem propemodùm excessissent ea miracula, quæ is, vt famam sibi diuinitatis conciliaret, coram Romanis patrârat, nunquam tantus ei honos in illa ciuitate habitus fuisset. Hanc istius Magi consecrationem in Apologia sua Iustinus Philosophus & Martyr Romanis exprobat, nequaquam id facturus, nisi vera se criminatione vti cōpertum habuisset.

Iustinus martyr.

IIII. Tempestates & grandines cient; vt eius libri, qui Malleus maleficarum inscribitur, auctores, multis allatis exemplis ostendunt, è quibus vnum huc ascribendum censui. In diœcesi Constantiensi, inquiunt, prope oppidum Rauenspûrg grādo sæuissima excitata est, quæ per spacium miliaris circumquaque vineta & segetes adeò afflixit, vt triennij spatio vix vllus è vitibus fructus sperari posse videretur. Itaque cum per maleficium id accidisse vulgus suspicaretur, de sententia & consensu consulum, binas septimanas de veneficis illius libri auctores, inquirunt. Ac fama popularis duas fœminas notabat, Agnetem balneatricem, & Annam de Middelheim. E q̄bus balneatrix ante tormenta, sua spontè fatetur, se vltra 18. annos ab incubo dæmone stupratam fuisse, ac eius iussu & adminiculo istam

tempe-

tempestatem, pauxillo aquæ in scrobem misso & digitis circumagitato cõcitasse. Cõsule secundæ partis illius operis cap. 15. Non sum nescius quam iniquè de hisce inquisitoribus in libro de varietate rerum Hieronymus Cardanus iudicârit (quod enim contra Dominicanos in genere dixit, illud in huius libri auctores dirigere videtur) verum ipse in libro suo de subtilitate ex epistolis Erasmi non minus prodigiosa com- Erasmus.
memorat. Verba Erasmi ab ipso citata hæc sunt: In oppido Schiltach dæmõ quidã sibilo signũ dedit è quadã ędiũ parte. Caupo suspicatus esse furẽ ascẽdit, neminẽ repit. Sed idẽ signũ ex altiore cœnaculo redditũ est. Et huc conscendit caupo furem persequens. Cùm nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. Illicò tetigit cauponis animum esse dæmoniacum quiddam: iubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo, adhibitus exorismus. Respondit se esse dæmonem. Rogatus quid illic ageret, ait se velle exurere oppidum. Minitantibus sacrificis respondit, se pro nihilo eorum minas ducere, quòd alter esset scortator, vterque fur. Aliquanto post mulierculam qui cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa quotannis confiteretur & Eucharistiã acciperet, sustulit in

aërem, imposuitque fumarij fastigio; tradidit ollam, iussit vt inuerteret: inuertit, & intra horam totum oppidum exustũ est. Mulier crimen suum confessa, & supplicio affecta est. Hæc Erasmus, homo non nimium credulus, vt ipse Cardanus fatetur. Eat igitur nunc Seneca, & rudem antiquitatem rideat, quòd crediderit attrahi imbres cantibus & repelli, horumque nihil fieri posse tam palam esse dicat, vt huius rei causa nullius Philosophi schola sit adeunda.

Seneca lib. 4. naturalium quęstionum.

V. Ferro & igni se inuiolabiles præstant. Nam sacerdotes Apollinis in mõte Soracte, qui Romę vicinus est, dęmonum pręstigijs freti super carbones nudis pedibus ingrediebantur. Est è memorabilibus inclytum, & insigniter pomnium ora vulgatum, inquit Solinus, quòd perpaucę familię sunt in agro Phaliscorum, quos Hirpos vocant. Hi sacrificium annuum ad montem Soracten Apollini faciunt. Idque operantes gesticulationibus religiosis impunè exultant ardentibus lignorum struibus, in honorem diuinæ rei flammis parcentibus. Sic Solinus. Alij hęc de Feronię deę sacerdotibus narrant.

VI. Homines in quasuis species transformant. Nam Plinius lib. 8. historiæ capite 22. fatetur vulgo infixam esse famam, homines aliquando in lupos cõuerti, & inde factum esse, vt in maledictis versipel-

Homines in lupos conuersi.

versipelles habeant, sed totã hãc rem ad Græcorum fabulas vult esse reijcien dam. Apud illos enim Euanthum quendam scribere, ex gente Antæi cuiusdam sorte electum ad stagnum quoddam eius regionis duci, vestitúque in quercu suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurarique in lupum. Sed respondet D. Augustinus, si ea non esse credenda dixerimus, non deesse etiam nunc, qui eiusmodi quædam vel certisima audisse, vel etiam expertos se esse asseuerent. Nam & ad se cum esset in Italia, de quadam illius regione talia perlata esse, mulieres videlicet stabularias his malis artibus imbutas, illic in caseo dare solitas viatoribus, vnde in iumenta ilico verterentur, & necessaria quæque portarent. Idem postea modum, quo id fieri sit verisimile, subiungit. Nam pro vero lupo aut equo phantasticum quid à dæmonibus substitui potuisse, & ipsum hominem talé sibi ipsi videri (sicut talis sibi videri posset in somnis) & portare onera. Addit quédam Præstantium simile quid de suo patre narrâsse, hũc nimirum, postquam venenum illud per caseum domi suæ sumpsisset, iacuisse in lecto quasi dormiret, nec vllo modo excitari potuisse. Post aliquot verò dies ipsum euigilasse, & quasi somnia narrasse, quę passus esset, caballũ scilicet se factum anno-

Modus harum transmutationum quis.

nam inter alia iumenta portasse militibus. Ac quæ ille vt sua somnia narrabat, hæc verè gesta compertum fuisse. Posterioribus deinde seculis tam frequentes eiusmodi metamorphoses in historijs occurrunt, vt quod initio fidem excedere videbatur, nunc omnium probet assensus. Pecuniæ vel perditæ
VII. recuperantur, vel non perditæ acquiruntur. Ac prioris illius tam illustria documēta suppetunt, vt nemo sit, quem ea fugere possint. Nam in singulis oppidis, imò vicis propemodum nonnulli reperiuntur, qui vulgo fatidici appellati dęmonum adiurationibus efficiunt aliquādo, vt fures seipsos prodere cogantur. Posterioris insigne exemplum refert Gilbertus, cognatus in libello suo de historijs Tragicis. Ait is puerum quendam familiarem se habuisse, qui cum dissolutius viuendo pecuniam suam dilapidasset, ab ignoto homine chartulam accepit, in qua dæmones & obscena membra depicta erant, cum tali pollicitatione, vt quotiescunque chartulam hanc inter digitos teneret, toties quot vellet aureos acciperet. Ac se præsente puerum huius rei periculum fecisse testatur, nec defuisse successum, donec à se persuasus, fidem nullam his præstigijs habendam esse censeret. Nam ex illo nihil pecuniæ sibi ea charta comparare potuit. Adijcerem hoc

Gilbertus cognatus.

loco

loco exempla quædam incantati genitalis membri, nisi pudor de ea re loqui prohiberet, ac talibus maleficijs impeti coniugatos etiam ex iure canonico notum esset. Quædam etiam de ijs dicerem, qui in aulis principum versantes magicis præstigijs eosdem oblectant, & nonnunquam in annulis phialis, alijsque rebus dæmones inclusos gestant, ac multa per eos miranda efficiunt. Adderem ex Georgio Agricola, quam sæpè in fodinis negotium ijs facessant, qui metalla è terræ visceribus eruũt, adeò, vt fodina quędam Annebergi omnino deserta sit, etiamsi argento diues esset, quia duodecim metallici in ea à dæmone necati sunt. Ex veterum quoque scriptis insignes aliquot Magos, & nominatim ex Philostrato Apolloniũ Tyanæum producerem, cuius tam fuit celebre apud omnes nomen, vt eum vnum nostro saluatori tanquam τερατουργία parem, Ethnici opponere non sint veriti. Ostenderem eundem aliquando Romæ in prætorio subitò disparuisse, & postero die post auroram suo Damidi in Dicæarchio, item Demetrio & cæteris familiaribus apparuisse. Verùm ne modum in huiusmodi experimentis accumulandis excedam, pauca de arreptitijs dicturus sum, & multa ab ijs fieri docebo, quæ sine dæmone corpus eorum inhabitan-

Georgius Agricola,

De arreptitijs.

te facere non poſsent. Primum igitur linguis hoc genus hominum loquitur, quas nũquam didicerũt, aſtantibus ſecreta vitia exprobrant, nunc in vna, nunc in alia corporis parte ſuę prę̨ſentię dant ſignificationem, exeuntes e corporibus vaſa & vtenſilia domus commouent, adiurati in nomine Chriſti, aut ſigno crucis conſpecto, vel aqua luſtrali ſuper ægrum ſparſa, è ſuo diuerſorio faceſſere compelluntur, denique ipſi per obſeſsorum ora, qui & quales ſint confitentur. Horum omnium, ne quiſquam à nobis conficta putet, teſtimonia afferemus. Cyprianus contra Demetrianum fidei noſtræ hoſtem, de dæmonibus hunc in modum loquitur: O ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſsis corporibus eijciuntur, quando eiulantes voce humana, & poteſtate diuina, flagella & verbera ſentientes, futurum iudicium confitentur. Et tractatu de idolorum vanitate, de ijſdem ſic ſcribit. Hi adiurati per Deum verum, nobis ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſsis corporibus exire coguntur. Videas eos noſtra voce & oratione occultè flagellis cædi, igne torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari, vnde veniant, & quo diſcedant, ipſis etiam

qui

qui colunt audientibus confiteri, & vel exiliunt ſtatim vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Et Lactantius libro 2. cap. 16. de iiſdem verba faciens, Iuſtos, inquit, cultores DEI metuunt, cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, nō modo dęmones ſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt, illa quæ in templis adorantur. Eadem Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Tertullianus libr. de anima cap. penultimo. Arnobius libro 8. contra gentes, Athanaſius contra idola & de incarnatione. Qui auctores qualeſcunque tandem fuerint, certè ſtolidi & mente capti non fuerunt, vt ea ſcriberent, quæ mendacij actutum redargui potuiſſent. HIERONYMVS in vita HILARIONIS auctor eſt Francum quendam Imperatoris familiarem cum à dæmone obſideretur, à D Hilarione curatum eſſe, ex cuius ore dæmon Syriaca lingua interrogatus, Syriacè reſpondebat, ac rurſum Græcè quærenti Græca referebat, etiam ſi obſeſſus ille nullum idioma præter patrium & Latinum calleret. Ibidem paulò ſuperius recitat exemplum cuiuſdam ab integro dæmonum legione obſeſsi, qui vno ore ſimul diuerſas voces edebat, vt tibi cœtum populi

alicuius vociferantis audire videreris. Ioannes Fernelius regis Gallorum medicus libr. 2. de abditis rerum causis quēdam, ad quem curandum accitus erat, Græcè, quod nunquam didicerat, locutum esse refert, idque eum fecisse, cum adhuc optimè sibi constaret, ac integris sensibus vteretur, imò deploraret, quod coactus eiusmodi voces protulisset. Quod diligēter notari velim. Addit eundem multa asidentium, maximeq; medicorum secreta detexisse, & risisse, quod eos morbi occultatione fefellisset. Patrem habebat equitem D. Michaelis, qui more equitum Gallorum torquem gestabat, vnde D. Michaelis imago propēdebat: hunc quoties eminus aduentantem conspiceret, vociferabatur, istum ingressu prohibete, aut torquem detrahite. Cæremonijs & execrationibus compulsus, qui in eo latebat dæmon, negabat se crimine damnatum, & spiritum nuncupabat. Hæc Fernelius non ab alijs audijsse, verum se astante & inspectante, gesta
D. Martin⁹ esse affirmat. De D. Martino Seuerus eius discipulus cap. 6. dialogi 3. hunc in modum scribit: Cùm D. Martinus vt Basilicam adiret, cellam suam egressus esset, ἐνεργούμενοι, hoc est dæmoniaci, qui olim intra septum quoddam in Basilicis seruabātur, rugire incipiebant, cum adhuc duo millia passuum
ab

ab ipsis abesset. Nec certiori indicio clerici Martinum aduentantem præsentire poterant, quàm energumenorum insolito tumultu. Vidi quendam (inquit Seuerus) appropiante Martino in aëra raptum manibus extensis in sublime suspendi, vt nequaquam solum pedibus attingeret. Si quando autem exorcizādorum dæmonū Martinus operam cepisset, cæteros iubebat abscedere ac foribus obseratis, in medio Ecclesiæ cilicio circuntectus, cinere respersus, solo stratus orabat. Tum verò cerneres miseros diuerso exitu perurgeri. Hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres sine interrogatione vexatos, & sua crimina confitentes. Nomina etiam nullo interrogante prodebant, ille se Iouem, iste Mercurium fatebatur. Postremo cunctos diaboli ministros cūm ipso cerneres auctore cruciari. Ita Seuerus Patres Societatis IESV in epistolis Iapanicis, tradūt fœminam quandam nomen IESV & D. Michaëlis proferre nitentē, ore compresso vi prohibitā, mox in laudē idolorū Indicorum prorupisse, & clamasse ijs reiectis neminem superesse qui adorari debeat. Postridie eadē fœmina peracto Christiano sacrificio rogata vt valeret, rectè

Dæmonis in D. Michaëlem odium.

rectè se valere respondit: Cùm verò iussa esset S. Michaelis nomen proferre, tum fremere dæmon & queri è veteri suo hospitio se pelli, & quò me vertam dicere. Hoc animaduerso Christiani præsentes ad preces cõuersi sunt, inter quas dæmon obsessam deseruit. Nam rogata denuò, vt IESVM & MARIAM nominaret, tanta id fecit suauitate, vt angeli vocem audire astantes viderentur. Adhucne igitur quisquam tam præfractus erit, vt neget experimentis probari posse, quòd spiritus quidam præter eos qui cœlum mouent, in hoc sublunari mundo vagentur? Tantumne sibi sumet morticinæ carnis pellicula, vt contra tot non solum graues, sed etiam oculatos testes, ficta esse dicat, quæ hactenus dæmoniarum operationum exempla attulimus? Aut si hoc nimis illiberale & inuerecundum fore iudicat, causas illas duas Aristotelicas naturam & hominum volũtatem, ad effectus tàm prodigiosos sufficere iudicabit? Incipiat igitur suas speculationes in medium afferre, & nisi mox omnium in se cachinnos prouocet, mendax haberi non recuso. Idque non tam confidenter asseuerare auderem, nisi mihi probè perspectum esset, quàm irrito labore se nonnulli Itali, quibus neque ingenium neque industria defuit, hac in re fatigârint. Horum v-

nus

nus PETRVS POMPONATIVS, vide quid non fingat, ne dæmones ad sublunarem mundi partem admittere cogatur. Primum (inquit) ea quæ Magi faciunt, pe occultas quarundam rerum vires clam ad adhibitas fiunt, quas dum astantes non percipiunt, dæmonis auxilio res geri putatur. Probabile autem hoc videtur, quia ipsi dæmonum assertores negant eis virtutem vllam inesse, secundum formam res transmutandi, nisi, quomodo medici in morborum curatione faciunt, actiua pasiuis adhibeant. Itaque cum & homines agentia pasiuis applicare non minus quàm dæmones posint nulla hîc dæmones recipiendi necesitas esse, videtur. Sed magorum opera secretis rerum naturalium viribus tribui, prorsus intolerabile est. Nam si ita esset, non magis quàm cęteræ artes liberales huius seculi legibus magia damnata fuisset, sed in eos solum, qui re per se bona in aliorum perniciem abutuntur, pœnæ decretæ. Nunc verò legum districtisimo rigore omne eius exercitum interdictũ, & capitis pœna in veneficos & incantatores statuta est. Præterea, si magia est res naturalis, quorsum magi barbaras & à nemine intellectas voces obmurmurant? Quorsum ridiculos characteres & ligaturas & multa alia, quæ tum nihil ad rem facerent vsur-

Petrus Pŏponatius sine dęmonibus supradicta saluare conatur.

Refutatio

Magia legibus dãnata.

vſurpat? Si dicas, vt fallãt ſpectantes, ne ſi naturale ſciatur quòd peragunt, in contemptum veniat ipſa magia: ergo ſolis impoſtoribus vires rerum naturales cognitæ erunt. Nullus enim vir bonus aliorum credulitate ad priuatam gloriam abuti vellet, ſed ſi quis talis ſemel diſceret, qua demum herba vel lapide mortuorum vmbræ excitentur, vtique pro ſuo candore id alijs patefaceret, aut ſaltem carminibus hoc ſe nequaquam facere cõminiſceretur. Deniq; nec generalis eſt hęc cauſa ad omnia quæ ſupra enumerauimus. Quæ enim vires naturales faciũt, vt ipſi magi viui aſportentur, aut vri incipiãt? Et quid opus multis, cum notum ſit magos ſpiritibus ſupplicare, & pacta cum illis inire? Atq; hoc ipſum multæ incantatrices, ante mortem coram ſe confeſſas eſſe, & magno animi dolore ſuum ſcelus deplãxiſſe, auctores mallei maleficarum affirmãt. Scribit etiam Porphyrius in epiſtola ad Anebuntem, quæ ab Auguſtino de ciuitate Dei lib. 10. cap. 11. citatur, magos ſolitos minari ſpiritibus, ſe Hecates ſecreta prodituros, & cœlum diruturos, niſi ad nutum ipſorum præſto eſſent, atque eos his minis ſe terreri ſimulantes comparuiſſe. Quare Pomponatius animaduertens, non ſufficere vires naturæ ad reddendam rationem tam admirabilium ope-

rum

rum: ad imaginationẽ hominis cõfugit, eáq; tam potẽtẽ facit, vt nõ solũ corpus imaginãtis immutare valeat, sed & alienis corporibus nouas affectiones inducere. Itaq; eos, q̃ robusta vi imaginãdi tẽpestates in aëre ciẽt, ijs q̃ vim imaginationis nequaquam perpẽdunt, videri dæmonum auxilio vti. Hæc est Pomponatij Philosophia: in qua primum consideratione haud indignum, quod is, qui diuinæ potentiæ multò angustiores limites præscribit, aut saltem Aristotelem præscripsisse contendit (nam tempero mihi nunc ab illa suspicione, quod eius hæc fuerit sententia) quam hominis imaginationi. Cùm enim hanc formalem mutationem in terrenam materiam sine alterius agentis adminiculo progignere dicat; DEVM & intelligẽtias orbium motrices, nihil in hęc inferiora, nisi cœlorum interuentu, iuris habere decernit. Præterea nunquam visum aut compertum est, quenquam sua imaginatione quicquam mutationis in rebus imaginationi subiectis efficere potuisse. Nam ad exemplum, quod Pomponatius affert de mulieribus, quæ aspectu homines enecant, ipse Aristoteles libro de insomnijs capite 2. respondet. Cùm enim illic mulierum, quæ mensium tempore solo intuitu specula nitentia inficiunt, mentionem fecisset, non ab imaginati-

ginatione huius rei cauſam petijt, ſed ex immundo ſanguine, qui in oculorum venulis contentus, etiam vicinum aerem commaculat, ac proinde & ſpeculum quod aër contingit. Nec dubium quin idem de illa oculorum faſcinatione ſentiendum ſit, ſi modo vera ſunt, quæ apud hiſtoricos de ijs referũtur. Itaque in hac αἰτιολογίᾳ magicorum operum, neque ipſe Pomponatius acquieuit,

Alia Euaſio.

ſed tandem ad ipſa totius atheiſmi myſteria confugit. Ait igitur omnia prodigia miracula & oſtenta ad intelligentias cœli motrices referri debere Has enim cœlo tanquam inſtrumento inferiorem hunc mundum & cũctas res humanas adminiſtrare, religiones & ſectas nouas antiquatis veteribus inducere, regna & dominia trãsferre. Pro his enim vel ſtabiliẽdis, vel euertendis præcipuè cœlũ θαυματουργεῖν. Quin & Prophetas à cœlo fieri exiſtimat; cuius rei exẽplũ ex Hali Abenragel profert. Is enim pueri cuiuſdã recens nati geniturã inſpiciens, eum puerilibus adhuc annis prophetaturũ dixit: idque euentus verum eſſe comprobauit. Verùm ea, quę magi

Refutatio

faciunt, quomodo cœlo & intelligentijs ſine manifeſta inſania tribuentur, cum illorum ars ſit turpium libidinum & aliorum flagitiorum miniſtra? Quod enim magicis ligaturis & characteribus ad illicitam Venerem

homi-

homines incitētur, Hieronymus in vita D. Hilarionis insigni exemplo declarat. Illic enim narrat puellam quādam sanctimonialem, cum nullis primum blanditijs in amorem adolescentis, qui illam deperibat perpelli potuisset, magos quibusdam characteribus in lamina æris Cyprij incisis, & subter limen domus puellæ collocatis, effecisse: vt ea mox pręamoris vehementia iuuenem illum magna voce inclamaret. Atqui cœlum & stellas non solum per accidens, vt vinum ad libidinem inflammare, sed directè ad certi hominis flagitiosum amorem instigare, & motrices intelligentias ad eiusmodi ministeria vti corporibus cœlestibus, Pomponatij inuentum est, nec vnquam Aristoteli in mentem venit. Quin & hoc partus est cerebri ipsius, quod falsæ religiones, quibus per tot secula mundus eo depressus fuit, vt opera manuum suarum adoraret, à cœlo & intelligentijs originem ducant. Nam Aristoteli nulla res ex natura sua mala est, vt q̄ malum nihil aliud, quàm boni naturalis absentiam esse dicit. Esset autem cœli natura pessima, & rebus humanis perniciosissima, si tam impias religiones portentis & prodigijs confirmaret. Insuper ipse Deus, quem primi cœli motorem statuit Aristoteles, & cui cæteras intelligentias succenturiatas vult es-

se, primus idololatriæ & nefandorum sacrorum auctor (proh nefas) habēdus esset. Quæ omnia cum tam absurda & impia sint, vt citra horrorem audiri non queant: non solum absque dæmonibus inter homines versantibus causas haud explicant eorum, quæ supra enumerauimus, verum etiam tantam vim veritatis ostendunt, vt ijsdem ipsis technis & mendacijs, quibus eam nonnulli opprimere conantur, illustrior fiat. Quisquis enim eos, qui erroris patrocinium susceperunt, quanto maiori conatu eum fucare conantur, tantò magis eius deformitatem prodere animaduertit, is si antea adhuc suspēso gradu incedebat, deinceps sine hæsitatione veritatem amplectitur.

Ex hisce spiritibus DEI prouidentiam demonstrari.

CAPVT XII.



Ccommodemus nunc ad nostrum institutum, quæ hactenus de spiritibus cœlo non affixis dicta fuerunt. Primum
I. hinc intelligimus, esse quasdā incorporeas naturas, quæ magnitudinem nō
II. habēt, & proinde nec locum occupāt. Discimus etiam quam parum suæ rationi homo tribuere debeat, cum nondum natus sit,

qui

qui commodam rationem excogitare potuerit, qua ab his dæmonibus singularia intelliguntur. Nam vel ab ipsis rebus singulis hauriunt earum cognitionem, & hoc ideò fieri non posse videtur, quòd tunc ab ijs aliqua mutatione eorum intellectus afficeretur. Quicquid enim dum præsens est solum cognoscitur, alias laliturum, id sui aliquam speciem facultati cognitiuæ imprimat necesse est. Etenim cur eius pͣsentia ad cognitionem requiratur, nisi quia præsens in vim cognitiuam agere potest, absens non item? Atqui species rerum corporearum corporeæ sunt; nec ab ijs quicquam perpeti potest corpore vacans intelligentia. Vel singularum rerum cognitio ipsis à natura inesse dicenda est; ac tum quia illę infinitæ sunt, nō dubium quin & ipsi dæmones infinita vi cognoscendi polleant, ac proinde DEO pares sint. Quocunque hic se vertat humana mens, semper in quosdam scopulos incurret, adeò vt hac ratione vel in primis nitantur, qui dæmones caliginosi aëris incolas admittere nolunt. Sed perperam & malè. Non enim rationem sensuum experimentis præferre debemus; vt non vno loco monet Aristoteles. Ad hæc multis indicijs se humani generis inimicos declarârunt hi spiritus, & potissimum ex eo quod hominum corpora subeuntes, nullum III.

non genus crudelitatis in miseros expromant. Quare si non Dei prouidentia certum illis modum exercendæ sæuitiæ determinaret, nihil impediret, quo minus totum genus nostrum breui tempore extirparent. Quòd enim remedium, aut quæ defensio contra eiusmodi hostes valeret, qui nullius corporis obice repelli, nulla solertia, cum inuisibiles sint, euitari queunt: imò quibus ob naturæ mirabilem subtilitatem vsque in intima hominũ viscera penetrare licet? Quòd igitur dæmones cum sint μισανθρωπότατοι tam raris incommodis humanum genus afficiant, imò quod pati cogantur se scriptis oppugnari, eorumque imposturas in lucem proferri, argumento est, ipsos imperio, ho-
IIII. mines verò tutelæ Dei subiectos esse. Præterea quærunt diuinos honores, & sacrificijs se velut numina coli affectant. Id autem non idcirco ab ipsis fieri verisimile est, quòd falsa hominum adulatione capiantur. Quis enim eo honore delectatur, quem sibi ex errore & ignoratione deferri animaduertit? Quòd si verò nihil ipsi voluptatis ex idololatria capiunt, quàm tot fraudibus & imposturis per multa secula aluerunt, quid aliud spectâsse credendi sunt, quâm vt verò Deo suum honorem suffurarentur, & homines secum in eandem perniciem traherent? Hæ
autem


autem causæ nullæ erunt, si Deus res humanas curæ non habeat, atque idcircò nulla religione colendus sit. Insuper magica disciplina docet varijs modis dæmones hominibus obnoxios fieri, nam adiurationibus cogi, vt annulo aut alteri rei semꝑ inclusi maneant, item minis adigi posse, vt hominibus ad nutum obsequantur, quod Porphyrius in epistola ad Anebuntem, cuius supra mentio facta est, scriptum reliquit. Sed minimè dubium est, quin simulata sit illa eorum necessitas. Cur autem quæso superbissimi pariter & hominum inimicissimi spiritus tam se ijs obsequentes præberent, nisi vt ipsos à vero Deo alienatos in quæuis flagitia darent præcipites? Denique nisi tum ipsi, tum homines diuinæ potestati subessent, nunquam precibus ad ipsum fusis è corporibus, quæ obsident, inuiti eijcerentur. Id autem crebrò accidere, supra multis veterum Ecclesię scriptorum testimonijs planum fecimus. Sed de dęmonibus & in totum de spiritibus, qui inter homines apparent, in præsenti ista sufficiunt.

V.

VI.

Ex animæ origine liquere, quod inferior mundus non sit expers diuinæ prouidẽtiæ.

CAPVT XIII.


OST ſpirituum, qui à corpore prorſus abſoluti ſunt, contemplationem ad terrena propius deſcendenti, primum anima rationalis occurrit. Quare ſi quid ex illa firmitatis diuinę prouidentię poteſt accedere, id oportuniſsimè hoc loco diſquiretur. Ac primum quidem non ſum neſcius animæ naturam valdè eſſe remotam à ſenſibus, quorum opera in philoſophando pro ſtatu præſentis vitæ vti cogimur; qua de cauſa non debent hic rationes tam firmæ requiri, vt aſſenſum ab omnibus, qui modò vim verborum aſſequuntur, extorqueant. Sed eas, vt in re longè occultiſsima, protuliſſe ſatis erit, quæ hominem æquum, & ſtudio veritatis incenſum facilè permouerint, vt in noſtram ſententiam pedibus eat. Sunt enim quædam dogmata, in quibus luce demõſtrationum mathematicarum deſtituti, ideò tamẽ aſtipulatores habemus, quotquot ingenio modeſto præditi ſunt, quod illi ſciant negari quædã pertinaciter potius, quàm ſapienter, temerariè quàm conſultò, animosè quàm verecundè. Si enim ad mathematicæ euidentiæ canones argumenta, quibus in Phyſica & prima Philoſophia vti conſueuimus examinarentur, vix ſcio an quicquam de totis illis diſciplinis nobis reliquum maneret.

Non vbique quærenda certitudo mathematica

neret. Quis enim quæso generationem simplicem, & innumera alia quæ demonstrata esse creduntur ab Aristotele, & omnium ritè philosophantium calculis approbantur, ijs demonstrationibus statuere potest, quæ ingenijs quantumlibet contentiosis satisfaciant? Itaque si de eiusmodi epicherematibus agitur, fateor illa mihi in præsenti materia non suppetere, sed ea me allaturum esse confido, quę omnibus ęquis rerum ęstimatoribus idoneę videbuntur ad ostendendum à quodam cœlesti numine animas in corpora immitti. Velim igitur animæ opera hoc loco ad memoriam reuocari. Hæc enim tanta ac talia sunt, vt de ipsorum auctore nil nisi egregium, sublime, diuinum, cogitare sinant. Idque vt magis perspicuum fiat, considerandum initio, quicquid in rerum vniuersitate DEVM auctorem naturæ testatur, eius quandam in mentis operibus imitationem sedulò contemplāti apparere. Condidit Deus cœlorum orbes, & sideribus velut oculis exornauit, eorumque cursus & circuitiones mira æquabilitate sic distribuit, vt annis & temporibus numerandis sint accommodati. Sed non defuere & homines, qui organa excogitarunt, in quibus anni tempestates, menstrui Lunæ cursus, & omnium aliorum siderum periodi tanta soler-

Homines diuinorũ operum simiæ.

tia exprimerentur, vt hominis opificium cum diuino quadam ex parte certare videretur. Notissimum est, quod de Archimedis Syracusani Sphera vitrea Claudianus, de Possidonij Cicero prima Tusculana. Tametsi forte huius rei laus non tam hisce auctoribus debetur, quàm Hipparcho & Ptolomæo, qui ignea & planè diuina ingenij viuacitate siderum obseruatis motibus, eorum inæqualitatem apparentem multiplicatis orbibus & cóuersionibus ad summam æqualitatem reuocare potuerunt, & eas confingere cœlestium corporum Hypotyposes, ad quas omnia quę sui admirationem rerum cœlestium studiosis excitabant, euidétissimè consequerentur. Quin insigni mentis acumine trium corporum mũdi, solis inquam, Lunæ & terreni globi interualla & magnitudinem non adhibita pertica (quomodo enim id, in tanta eorum magnitudine tamque vasta distantia fieri potuisset?) Sed rationis iudicio dimensi sunt. Atque ita dimensi, vt eorum asseuerationi pondus mathematicæ necessitatis adiunctum sit. Condidit DEVS hęc sublunaria, & animantium ac præcipuè humani generis vsui accommodauit. Quocũque te conuertis, miranda Dei opera insignem eius bonitatem, sapientiam, & potentiam non obscurè testantia, ingerũtur.

Claudian.

tur. Sed & humanæ rationis inuenta in hoc inferiori mundo tot tamque illustria occurrunt, vt hominem non quidem Deum, sed natura Deo cognata esse preditum, vociferentur. Que si cuncta enumerare vellem, citius mihi charta quàm verba deficerent. Quid enim si naturæ opera demas, superest in rebus humanis non humanæ rationis industria inuentum? Respice corpus tuum, & quam multa in eo præstãtie mentis θαύματα circunferas, animo attento considera. Respice quam incolis domum, & quid in ea sit, quod rationis industriæ non debeatur inquire. Respice ciuitatem, & quicquid ad eius statum conseruandum pertinet non παρέργως intuere, templa, forum, curiam, moenia, vallum, fossas, turres, propugnacula, portas, leges cupiditatum frænatrices, magistratum & omnem εὐταξίαν; & vide num quicquam horum ab alio profectum sit auctore, quàm ratione. Vbi res vrbanas sat diligenter lustrasti, postea te rus confer, & perinde atque in vrbe circunspice, num quicquam ibi quo humanæ mentis solertia declaretur occurrat. Et illic tibi aratra, ligones, sarculi, rastra, & reliqua agriculturæ instrumenta, cum vniuersis curãdæ sterilitatis tam agrorum quàm arborum remedijs ingerentur, ac perspecturus es, quacunque in re ingeni-

In mundo inferiori vbique occurrunt animæ nobilitatis iudicia.

genium intenditur ibi valere. Posset hoc loco tota congeries artium mechanicarum, posset Philoſophia cum liberalibus diſciplinis ad commendationem humanæ mentis in medium adferri, ſed quia in tanta rerum mole ſatius eſt tacere, quàm pauca dicere, idcirco nunc ad originis humanæ cauſas manifeſtas nos cõuertamus, & num quicquam ibi ſit, cui mentis procreatio tribui poſsit, etiam atque etiam conſideremus. Sed omnibus ſumma diligentia excuſsis & perueſtigatis nihil dignum inuenietur, à quo mentis originem repetamus; nihil erit vnde animam plenam conſilij & rationis ortum ducere credi par eſt. Quid enim in officinam naturæ cogitatione ingreſſus non humile, ſordidum, vile, imò non pudendum & abominabile deprehenſurus es? Quali origine cœpiſſe id, quod eſt inter omnia terrena longè nobiliſsimum, quomodo non eſt à ratione alienum? Anne tam ſtupidi erimus, vt cum Epicuro in ſenſibiles humanę natiuitatis cauſas intenti, ratiocinemur hominis mentem non poſſe non rem abiectam, corpoream, & terrenã eſſe, vt quę ἔργον λαγνείης καὶ μιαρᾶς ῥανίδος exiſtat: & nõ potius diuinam eius præſtantiam ex eius operibus colligentes, multò rectius inferemus, nõ ex ſemine ſed alijs ſecretioribus & diuinioribus cauſis ipſam oriri?

oriri? Inferemus profectò. Nam alioqui reſpondeāt mihi Epicurei, num ipſum ſemen ſimulatque genitum eſt mente prędıtum eſſe arbitrentur, an verò illam poſterius demum accedere putet. Si iam inde ab initio mentis compos fuit, homo igitur erat, & homicidæ ſunt quotquot cœlibem vitam ducunt, nec ſinunt inchoatum illum hominem ſuam perfectioné adipiſci. Sequuntur & alia ex hac opinione incómoda, quæ enumerare turpe eſſet. Si ergo, vt ea deuitet, fateatur ſemen poſterius animari, mox à quo animetur interrogabo, an à matre an alia quadam inſita virtute. Quodſi matrem fingant animæ rationalis cauſam effectricem eſſe, contra omnium mortalium ſenſum & conſenſum primas ei partes in hominis generatione concedent. Sin aliquid in ſemine ineſſe dicant vnde animetur, vel ſubſtantia vel accidens illud erit. Sed vtrunque horum ęquè abſurdum. Nam ſi accidens ſit, ſequetur formam ſubſtantialem, eamq; non vulgarem, ſed omnium ſublunarium præſtantiſsimam ab accidente prognatam eſſe, & accidens longè vltra ſuam ſpeciem egiſſe, quòd eſt impoſsibile. Si ſubſtātia ſit, haud dubium quin forma ſubſtātialis ipſius ſeminis exiſtat. Atqui nec illa quicquam habet, cur poſsit mentis effectrix iure reputari, ne rurſum neceſſe

Nihil vltra ſuam ſpeciem agit.

fit

sit fateri, quicquam vltra suam speciem agere. Cùm enim semen longissimè infra naturam intelligentia præditam subsideat, quopacto non modum suæ speciei excederet, si naturam intelligentem progignere posset? Ne in præsenti dicam quam sit absurdum, formam quę ex materia excedit, alterius cui locũ prębet causam esse; & eo modo sibiipsi interitum afferre. Et tamen vel aliquid horum de origine animæ constituendum erit, vel origo eius ab inuisibili principio repetenda. Vtcunque enim de formarum ortu variè disputetur à Philosophis, vtcunque alius aliam earum causam fingat, id certè fixum manere debet, non posse substantiam à non substantia, viuum à non viuo, & omnino melius à deteriore progigni, vt non immerito D. August. in collatione Epicuri cũ Platone, ea etiã ex parte hũc velit Platoni cedere, ꝙ res viuas à non viuis fieri posse, crediderit. Siue enim dicas ex nihilo quippiam oriri, siue id quod melius est à deteriori, verbis quidem diuersa videberis affirmare, res verò vtrobiq; eadem erit. Nam posteaquam nulla res alteri conferre potest, quod ipsa nõ habet, si quod naturæ est abiectioris, quicquam se nobilius gignit, hoc ipsum qua parte suæ causæ nobilitatem superat, ex nihilo genitum videbitur. Atque hæc est prima ratio

Libro 8. de ciuit. ca. 5.

tio humanæ mentis originem haud esse terrenam demonstrans, vnde vlterius consequitur aliquod numen huic mundo præsidere, vnde in corpus animæ infundantur.

Eandem animæ originem aliter probari posse.

CAPVT XIIII.

SEcundò idem alio modo sic ostenditur. Anima vel est compositum, vel compositionis expers forma. Nō compositum, quia tunc corpus esset, ac proinde aliud corpus, quod animatura est, per totum immeare non posset, eò quod natura corporum haud ferat, vt eundem locum simul plura occupent. Forma igitur est anima. Formarum verò quædam propriam habent subsistentiam, quædam in alio & per aliud subsistunt. Ac in primo genere humanam animam collocari debere testatur suprema eius operatio, quàm sine corporis adiumēto exercet. Nam formas eas, quę per aliud subsistunt, per se operari non posse, multis argumentis demonstrari potest. Primum enim si actio sit formæ, quæ materię inhęret non autem totius hypostaseos, sequeretur, & quod actione foris producitur non esse totam hypostasin, & generationis siue simplicis siue κατά τι terminum non esse aliqd subsistens, sed ipsas duntaxat formas. Hoc

Rationes quibus docetur actionem esse nō formarum sed compositorum.

autem

autem concesso, mox vlterius sequitur omnia, quæ fiunt naturali mutatione ex nihilo fieri, quæque intereunt in nihilum occumbere. Si enim non compositum, sed formæ solæ producuntur & pereunt, cum illarum nihil ante generationem extiterit, nec post interitum restet, necesse est illas & ex nihilo productas fateri, & rursus in nihilum recidere. Sed hoc incommodum effugiunt ij, qui totum compositum gigni dicunt. Tunc enim & genitum erit ipsa tota hypostasis, cuius cum altera pars, materia nimirum, sit toto antiquior, è nihilo ortum esse dici non potest. Ad hæc res sensibiles notionem sui concretam in sensus nostros imprimũt. Non enim colorem aut odorem primò & per se sensu percipimus, sed coloratum & odoratum; nec vnquam homini in mentem venire potuisset colorem esse formam à re colorata diuersam, nisi ratiocinando vnum ab altero secreuisset. Non est autem dubitandum, quin haud aliter res agant, dum suam speciem generatione propagant, atque dum sui similitudinem in sensibus nostris producunt. Insuper hæc tria se multò consequuntur, esse, posse, agere. Nam ex rei essentia potestas agēdi manat, ex qua deinde actio prodire consueuit. Si igitur essentia sit non sola forma, sed compositum ex vtroque, nec agendi

Videmus non colorem propriè, sed coloratũ.

gendi potentia, neque ipsa actio soli formæ attribui debent. Atque ideò si qua forma per se operetur, ea hypostaseos quodammodo rationem habebit. Preterea quid fuit, cur Aristoteles motum grauium à generante prouenire dicat, cum manifestum sit proximam eius causam esse ipsum pondus, hoc autem à forma ipsis inesse minimè dubium sit, nisi quia videbat actionem omnem alicui toti & per se subsistenti tribuendam esse? Cùm igitur graue seipsum non possit mouere, eò quod hoc non côueniat, nisi ijs quæ in partem mouentem & motam distinguũtur, reliquum erat, vt à generante moueretur. Quæ cum ita sint, si modo probetur esse aliquam animæ functionem, quàm ipsa sola exercet, simul etiam probatum erit ipsam ἀυθυπόστατον esse, seu per se subsistere. Id autem multis ijsque non leuibus argumentis, ab Aristotele in 3. de anima libro docetur; post quem plura ad eius rei confirmationem afferre haud necessarium foret, nisi tam grata esset homini suæ mentis diuinitas, vt nunquam superuacaneũ videretur, quod illius stabiliendæ causa adducitur. Itaque si quid in hoc genere dicendum occurrit ab Aristotele preteritum, eius rationibus cumuli loco adijciemus. Cogitandum igitur hominis mentem nulla rerum visibilium assuetudine sic

Cur Aristoteles putauit grauia à generante moueri.

Prima ratio probãs intellectũ esse vim incorpoream.

ne sic astringi posse, vt non ei liberum maneat etiam illa amplecti, quæ regulis iudicãdi per sensuum experiméta collectis, aduersantur. Quodsi enim solos sensus in consilium adhiberemus, quibus nihil nisi ordinarium huius vitæ cursum conspeximus, quibus oriri & occumbere homines nõ aliter quam bruta, quibus blasphemos & impios florere, bonos obscuram & ignobilem vitã ducere, casibus multis inopinatis res humanas iactari, creaturarum eundem statum tot annos perseuerare cernimus; quid prohiberet quo minus Epicuri nobis disciplina probaretur? Iam verò sensuum & totius animalis hominis cogitationes supergressa mens, ac totum visibilem mũdum infra se relinquẽs, esse aliquod inuisibile Dei regnum, plenum beatis mentibus, assentitur. Credit DEVM nullis loci temporis & perfectionis limitibus circunscriptum, & tamen omnis corporeę magnitudinis omnino expertem; eius naturam ęquè in cum vnius milij grano totam existere, atque cum vniuerso orbe. Credit post breue tempus, mundum cum omnibus suis cupiditatibus trãsiturum, aduenturumque iustis regnum DEI, in quo resumptis corporibus, quæ partim in puluerem comminuuntur, partim in halitus aurasque diffugiunt, æternis seculis diuinam maiestatem contem-

contemplabuntur. Atque has tam ſublimes de rebus ſupramundanis cogitationes, non ſolum apud rude vulgus inuenias, verùm quantò quiſque eſt ſapientior ac iudicio ſanior, tãtò hęc lubẽtius amplectitur. Id quod nunquam facturus eſſet, ſi mens per corpus ſuum munus obiret. Quòd enim ſpontè ſua cęcitatis damnat ſeipſam, & ſe captiuam trahi in rerum tam incomprehenſibilium aſſenſum patitur, vtique argumento ęſt, habere ipſam apud ſe altioris ſapientiæ rationes, quàm ſit ea, quę à ſenſuum experimentis dependet. Atque hæ rationes cum deſtruant & ſtultam oſtendant animalem huius mundi ſapientiam, ex ſeipſa mens eas depromat neceſſe eſt, & quatenus à corpore ſeparata exiſtit. Idem ſpondet ordo agẽtium. Nam elementorum & omnium inanimorum actio in extraneam materiam tranſit: quę verò his nobiliora ſunt, in patiens minus remotum ſuam vim exerunt, ita vt ſecundum incrementa nobilitatis creſcat etiam agentis & patientis coniunctio. Mox enim poſt elemẽta & miſta, quæ in materiam à ſe penitus diuerſam agunt, ſequuntur plantæ & terræ naſcentia, quæ nutrimentum quod primo cum ipſis minimè cohæret, poſtquam immutatum eſt, ad ſe rapiũt, ac ſuo corpori agglutinant. Minus adhuc ſentientis animę vis

in exteriora prodit. Vis enim ſentiendi ſimilitudinē eius, quod ſentitur in eadem materia producit, in qua & ipſa exiſtit. Verbi cauſa, in eodem oculo rerum viſibilium formæ & ipſa facultas videndi inhærent.


Quoniam autem ſupra vires ſentiendi proximo gradu ratio & mens collocata eſt, quid reſtat niſi vt hæc, ſi quemadmodum naturæ dignitate præſtat, ita etiam in minus diſtantem materiam aget, ſuam intellectionem intra ſe recipiat. Porrò cum intellectio ſit immanens actio, ſi in ſola mente recipitur, à ſola etiam mente producatur neceſſe eſt. His eum in modum conſtitutis, facile nunc erit probare hominis animam ex parentum ſemine oriundam non eſſe. Omnis enim mutatio phyſica præſupponit ſubiectum in quo verſetur, ſiquidem ea mutatio, quæ in materia nulla recipitur, eſt creatio, quàm naturalis Philoſophia ignorat. Si ergo humana mens phyſica actione progignitur, in materia profectò hærebit. Atqui ante oſtenſum eſt, ipſam per ſe ſubſiſtere, nec à materia velut fulcro dependere. Non eſt igitur humanæ mentis origo Phyſica, ac proinde vel ἀγέννητος erit, vel ſi ortus ſui aliquod initium habet, per creationem ex nihilo in eſſe prodijt. Prius horum falſum eſſe apud omnes in confeſſo eſt. Si enim ante quam

cor-

corpus viuificare incipiat perfecta erat, magno suo incommodo in illud demitteretur: sin ex illa coniunctione tantum emolumenti capiat, vt omnino satius sit eam in corpus inseri, quàm perpetuò separatim existere; ergo, nisi fortè ita vsuuenisset, vt alia quædam causa ipsi corpus tanquam organum perfectionis adipiscendæ suppeditaret, semper imperfecta maneret. Sed fieri non potest, vt cuius esse necessarium est, id bene esse fortunæ beneficio possideat. Proculdubiò igitur eam ex nihilo creatam esse sequitur. Siue autem creator ipsorum omnes simul effectas paulatim in corpora dispertitur, siuè tum primum singulas creat, tum in corpus immittit, semper ex hac animarum origine perspicitur, neque inferiorem mundum diuinę gubernationis expertem esse.

Idem alijs rationibus demonstrari.

CAPVT XV.



DEinceps vt omnibus quam testatissimũ fiat, animas nostras humano satu genitas non esse, adhuc breues quasdam rationes ad præcedentia adijciemus. Nulla in hoc sublunari mundo bona inueniuntur, quæ homo simulatque degustauit, non fastidiat. Non saturatur oculus visu ne-

Ecclesi. 1. que auris auditu, inquit Salomon. Et quisque in seipso experitur, nihil in rebus humanis diu placere posse, ac propterea vicissitudine quadam exercitationum opus esse, vt tędium, quo plena est hominum vita, vtcũque leuemus. Quin neq; voluptuarij homines diu ijsdem voluptatibus capiuntur; idque rerum suarum vsu Xerxes edoctus, pręmium nouæ alicuius voluptatis inuentoribus proposuit. Quin neque fastidio tantum sunt homini degustatæ voluptates, sed & pudoris & tristitię aculeũ post se relinquũt. Sed quorsum hæc, si anima hominis ex hoc mundo inferiori instar brutorum ducit originem? Cur voluptates corporeas, si nil nisi corporum fœtura sit tantopere abominatur? Rursum, anima intelligit operum naturæ rationem, quam natura ignorat. Videt singula quomodo facta sunt, ita etiam fieri debuisse; sed natura omnis intelligentiæ expers est. Vnde non solum DEO naturæ parenti mens humana propinquior esse colligitur, quàm natura, verumetiam fieri non posse, quin id quod pari sapientia rectè se habere intelligit, huius vniuersi fabricam, atque Deus illam machinatus est, non interuentu naturæ, quæ multò ignobilior est, in lucem sit editum, sed ab ipso omnis sapiẽtiæ fonte Deo. Præterea nihil Deus post habere

sapien-

ſapientia diuini ſu, itaque inter Iouis prerogatiuas ob quas ei ſummum inter Deos imperium obtigiſſe Homerus fingit, vna eſt, quod ętate & ſapientia Neptunum & Plutonem antecelleret. Ζεὺς γὰρ ἦεν πρότερος γενεῆν καὶ πλείονα ᾔδει, inquit Homerus. Is ergo qui & ſapientiæ particeps, etiam quodammodo diuinitatis particeps eſt. Vnde autem ad homines partiuncula quædam diuinitatis prouenire potuit, niſi ab eo, qui totam diuinitatis plenitudinem poſsidet? Neque contemnenda eſt hac in re D. Gregorij Nazianzeni cõiectura, qui inde colligit, parentes tantum corpora, non verò & animas generare, quòd ij malè affectis filiorum corporibus grauiter commoueantur, animę autem morbos, quin & mortem etiam, rarò in ſuis liberis deplorent. Verba eius ex carmine de laude virginitatis hæc ſunt.

οὐχ ὅλου ἀνθρώποιο πατὴρ βροτὸς, ὡς ἐνέπουσιν
ἀλλ᾽ ὅσον σαρκόςτε καὶ αἵματος, ἀμφοτέρων μὲν
ὀλλυμενῶν, ψυχὴ δὲ θεοῦ κρατέοντος ἄημα
ἐκτοθεν ἐισπίπτουσα χοὸς πλάσει, ὅιδεν ὁ μίξας
πῶς τὸ πρῶτον ἔπνευσε, καὶ εἰκόνα μίξατο γαίῃ
μάρτυς ἐμῶν ἐπέων καὶ σὸς πόθος, ἡμιτελὴς γὰρ
στέργων οὐ ψυχὰς τεκέων, τάδε σώματα μοῦνα
Οἷς δάκνῃ μογέουσι, καὶ οἷς θαλέθουσι γέγηθας.
ὧν τεκέων λώβῃσιν ἑὸν καταδάμναται ἦτορ,
ἢ μεγάλαις ψυχῶν κακίαις καὶ χείροσι λώβαις.

 Id eſt,

Id est, Non est, vt aiunt, totius hominis pater homo, sed tantum carnis & sanguinis, quæ ambo intereunt. Anima verò Dei præpotētis flatus, extrinsecus illabens, dum corpus è terra formatur. Nouit miscens, quomodo animam flatu genuit, & suam imaginem terræ admiscuit. Testis meorum verborum etiam tuum desiderium (alloquitur virginitas coniugium) est enim semiperfectum, non diligens animas liberorum, sed corpora sola. Quorum te afflictiones mordent, & quorum te integritas exhilarat. Liberorum perniciei magis cor succumbit, quam magnis animæ vitijs & morbis peioribus. Hactenus ille. Huc denique omnium, qui aliquid iudicio valuerunt, suffragia accedunt. Cicero ait, videri sibi illum mēte carere, q. nō videt mentem hominis diuina cura perfectam esse. Apud Xenophontem Socrates ait, non aliunde quàm à DEO mentem ad homines venire potuisse D. Paulus ex animæ diuina origine, tāquam certissima & ipsis infidelibus notissima, ostendit idola non esse Deos. Si, inquit, nos homines Dei genus sumus, q̄ quidam vestrorum poetarum dixit, non debemus existimare ligno & lapidi diuinum numen simile esse. Aristoteles etiam rationem attulit, cur talis sit animarum credenda origo. Ideò enim docet mentem extrinsecus

A Cicerone citatus. Libr. 2. de natura deorum.

Actor. 17.

cus

eus accedere, quia cum eius operatione non communicat corpus. Vbi non vult eam corpore antiquiorem aut sine vlla origine sempiternam esse, vtpote qui in 12. primæ philosophiæ affirmat, nullam formam extitisse, antequam materiæ coniungeretur; sed à DEO creatam in corpus immitti. Alij suæ mentis admiratione plus quam par est defixi, eo prorupere audaciȩ, vt eam ἀπόσπασμα θεȣ̃, hoc est, interprete Cicerone decerptum ex mente diuina dicerent; Erupides verò omnibus ijs audacior etiam Deum. Male illi quidem. At intelligitur tamē ex hisce eorū encomijs, tantam esse humanæ mentis dignitatem, vt semper amplisśima quæque sapientes de ipsa sint opinati: nedum adeò sit à quoquam depressa, vt eam è terra progenitam esse finxerit. Sed argumētorum quȩ ex animȩ origine sumuntur, hic finis esto.

DE PROVIDENTIA DEI LIBER QVARTVS.

PRÆFATIO.


Superiorum temporum scriptores, qui diuinæ prouidentiæ causam egerunt, ex mirabili brutorum, in suis operibus artificio, ac plena industriæ organorum in viuentibus efformatione non malè ratiocinati sunt, nihil animatum diuini regiminis expers esse: verum nemo, quod sciam, ex iisdem fundamentis singularium prouidentiam ex professo demonstrare conatus est. Nam isti rationi, quæ primum sumit, omnia in quorum operibus magnum quoddam ingenij & solertiæ specimen apparet, si per se non sapiant, ab aliquo sapiente gubernari: ac deinde, quia cõstat bruta per se non sapere, infert à sapiente quodam rectore in propositum scopum ea dirigi, isti, inquam rationi obuiam iri posset, dicendo cunctas res in prima mundi institutione semel iis viribus instructas esse, quibus sua munia obire queant Si igitur docere velimus, ad omnia animata etiam

etiam in præsenti diuinam gubernationem extendi, probandum erit, mirabilem illam in animatorum regimine œconomiam, non esse tribuendam ulli virtuti, quæ partium naturæ compositionem sequatur. Haud enim dubitandum, quin si extrinsecus ipsis adueniat, à Deo omnium rerum potentissimo moderatore sumat originem. Id autẽ priusquam facimus, ingenuè cõfitemur, nõ esse mox ad supranaturalem causamconfugiẽdum cum effectus quispiam admiratione dignus occurrit, quemadmodum indoctum vulgus, omnia, quorum rationem non capit, diuino miraculo deputare solet. Nam ita cum D. Augustino cuncta diuino arbitrio dispensari arbitramur, vt tamen vnamquamque naturam proprios motus agere sinat. Nec ignoramus à sapientissimo quodam viro dictum esse, Deum à fine vsque ad finem attingere fortiter, ac disponere cuncta suauiter. Itaque non semper quid Deus omnipotenti sua virtute facere possit, sed quid rerum naturis conueniat, attendendum esse libenter agnoscimus: ac proinde maximè vniuscuiusque naturæ integritas postulare videatur, vt non alieno impulsu, sed ex insitis viribus suas functiones exequatur, minus probabile esse, quòd aliena directione bruta operentur. Attamen nihil horum me deterret, quo minus existimem, non posse tantum solertiæ in eorum, quæ ratione carent, operibus apparere, nisi diuino nutu regerentur. Ratio- Sapient.8.

nes, quibus moueor indicabo, tu lector quanti ponderis sint iudicabis.

Bruta facere quædam non minus ingeniosè, quàm si mente prædita essent.

CAPVT PRIMVM.



Rutorum animantium singularis prudentia tam multis è rebus elucet, vt non minima pars historiæ naturalis in ea describenda cõsumatur. Verùm hoc loco, vbi omnia commemorare longum esset, pauca quędam brutorum minimè brutalia opera exempli causa recensere decreuimus, initio ab astu, quem in quærendo

Victus. victu declarant, sumto. Primum cancer, quia libenter conchis vescitur, cum propter duritiem testę non posit vi ad eas deuorandas irrumpere, arte & industria se voti compotem facit. Tempus enim obseruans, quo propter cœli serenitatem illectæ conchæ testas diducunt, velut auram captaturæ, calculum in concharum hiatum inserit, ne bestia intus latens testarum compressu sese tueatur. Atque ita hostem in potestatem redactum securè deuorat. Sic Ambrosius & Basilius in hexaëmeris suis. Platalea auis, cum piscibus viuat, nec possit ipsa sese aquis ingurgitare, ad eas aues aduolat, quæ in mari

mergunt,ac eorum, cum præda emergentium, tantiſper capita pmit ac mordet,donec prædam è roſtro dimittant. Atque hanc acceptam illa deuorat. Cicero 2. de natura deorum. Polypodes hūc in modū piſcibus inſidiātur. Petrę alicui inſidētes in eius colorem ſe ita trāsformāt, vt idē cū illa eſſe videātur. Interim piſces ad Polypodē tāq̃ ad petrā ſecuri adnatātes,ab illa capiūtur. Aelianus lib. 1. de varia hiſtoria: Textoriam artē & dona Erganes deæ, neque norunt Phalanges (genus hoc araneorum) neque noſſe deſiderāt. Nam cui vſui beſtiæ veſtis à ſe contexta foret? Sed veluti naſſa eſt illa contextio ad ea, quæ inciderint, capienda. Ac ea de cauſa in medio retis, ad omnem occaſionem intenta ſedet, vt ſi qua fortè in eam muſca inuolet, pabulum fiat. Idem ibídem. Huc etiam referri debent, quę libri primi 7. capite de Pinna & Squilla ex Cicerone retulimus. E quibus exemplis, quanta ſit brutorum in quærendo victu ſolertia, ſatis patere rati, deinceps quanto ingenio morbis ſuis beſtiæ occurrant, oſtendemus. Plinius lib. 8. naturalis hiſtoriæ integro cap. 27. remedia percenſet, quibus ſe bruta curare ſolent. Dictamum herbam, inquit, extrahendis ſagittis cerui monſtrauere, percuſsi eo telo, paſtuque eius herbæ eiecto. Iidem percuſsi à Phalangio,

Remedia brutorum contra morbos.

cancros edendo ſibi medẽtur. Anguis hiber-no ſitu membrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitidiuſque vernat. Idem hiberna latebra viſu obſcurato, marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac refouet: ſi verò ſquamæ obtorpuere, ſpinis iuniperi ſe ſcabit. Hæc aliaq; plura ibidẽ Plinius. Vrſus ſauci⁹ verbaſcum plagæ imponit, quæ herba cum ſiccandi vim habeat, purulentia abſterſa breui tempore cicatricem vulneri inducit. Baſilius 8. concione in opus ſex dierum. Hippopotamus beſtia in Nilo degens cum diſtenditur nimia ſatietate, arundineta recens cæſa percurrit, quoaduſque ſtirpium acuta pedes vulnerẽt, vt profluuio ſanguinis leuetur ſagina. Plagam deinde cœno oblinit, vſque dum vulnus cõducatur in cicatricem. Solinus. cap. 35.

Neque ſues agreſtes omnino rei medicæ imperiti. Cùm enim per imprudentiam hyoſcyamum comederunt, etſi tam inde debiles fiant, vt ægrè poſteriora trahendo repетent, mox tamen ad aquas ſe conferunt, ibique collectos cancros epulati priſtinam valetudinem recuperant. Aelianus lib. 1. Nemò ignorat canes nimia ventris ingluuie grauatos herbæ cuiuſdam eſu vomitum prouocare, eoque modo ſtomachi ſaburram deponere.

nere. Memorabile autem, quod Plinius ait, neminem quæ ſit ea herba deprehendere poſſe. Eandem rem non mediocriter illu-ſtrant ea, quæ pro vitæ ſuæ tutela & conſer-uatione beſtiæ machinantur. Quis enim non miretur torpedinem piſciculum hamo iam implicitum, occulta quadam vi piſcatoris manum ita obſtupefacere vt calamum, cui hamatus funiculus adhæret, retinere non poſsit? Et tamen ita ſolere hoc animal piſca-torum inſidias euadere, auctor eſt Cicero libro 2. de natura deorum. Perdices item ſuos pullos inter fugiendum ſe occultare, & in tergum reſupinatos glebam tanto artificio ſibi prætendere docent, vt omnem quærentium induſtriam eludant. Sic enim de ipſis PLVTARCHVS in dialogo, qui Gryl-lus inſcribitur. Mures ad ſubterranea ſua antra diuerſos exitus fodiunt, vt vno obſeſ-ſo per alium vitæ ſuæ conſulant. Lepores ambagibus & curſu in orbem facto canum impetus ludificantur. Quę duo tam ſunt no-ta omnibus, vt auctorum teſtimonijs ea con firmare non ſit neceſſe. Perdices cùm pullis ſuis ab ancupe metuunt, ſimulant pedum & alarum debilitatem, vt auceps ſpem con-cipiat ipſius matris præhendendę. Atque ita fit, vt pulli dimiſsi ſpatium fugiendi nanciſ-cantur; & mater cum eos in tutum ſe rece-

Lib. 25. c. 8.

piſſe

pisse animaduertit, vana spe illuso aucupe, volatui se mandet. Solinus cap. 13. In Aegypto est quoddam genus ranarum, quod ne à varo quodam pisce deuorari possit, frustum arundinis demordet, idque obliquum in ore gestat. Cùm enim vari rictus tam amplus non sit, vt arūdinem tam latè vtrinque extensam deglutire valeat, fit eo modo, vt ranas incolumes dimittere cogatur. Aelianus lib. 1. Sepia cum à piscatoribus se peti videt, atramētum, quod ipsi pro sanguine est, post se effundit, vt in aquis atro colore tinctis, cōspici nō possit. Cicero 2. de natura deorum. Castor, cuius testiculi magno in pretio sunt, cum venatores sibi imminere videt, non ignarus qua de causa ipsum insectentur, testes sibi morsu amputat, atque ita se ab interitu defendit. Nam simulatque testibus venatores potiti sunt, deinceps illi animanti infesti esse desinunt. Hoc Plinius lib. 32. cap. 3. Insuper, quod summopere mirandum, nouit vnaquæque bestia telum, quod defensionis causa accepit, nouit occasiones quibus opportunè aduersariū inuadat, nouit hostiū partes imbelles. Idque exemplo Delphini & Crocodili, quod libro primo capite 7. recitatur, doceri potest. Quin & diuinandi peritiam, quanta eorum saluti necessaria, sunt adeptæ. Echinus animal marinum, tempesta-

Diuinatio bestiarum

tes imminere sentiens ad scopulum se applicat, ne ex maris iactatione vllo incommodo afficiatur. Auctor BASILIVS concione 8. in opus sex dierum. Terrestris verò Echinus antrum, cui bina spiracula sunt, vnũ boreale, alterum meridionale, inhabitare solet: cumque boreas flaturus est, spiraculum, quod borealem plagam spectat; cum verò auster, quòd australem, occludit. Basilius concione 9. eiusdem libri. Scribunt Aelianus & Plinius tantam in muribus esse diuinandi scientiam, vt, cum domus aliqua prę senio ruinam minatur, primi id sentiant, & pristinis suis cauernis relictis, fuga saluti suæ consulant. Addit Plinius & araneos cum telis imminente ædium ruina cadere. Quæ si vera sunt, & superstitiosis Ethnicorum obseruationibus annumerari non debent, sine peculiari DEI instinctu tale quicquam ab hisce bestijs prę sagiri nõ posse, manifestũ est. Atque idem statuendum est de illo hirundinum genere, quod in Nili ripis excauatis indificare, ac si futurum est, vt eorum nidos auctus amnis attingat, multis diebus ante migrare Plinius refert. Nec aliter de araneis iudicandum, si, quod ille tradit, incremento amnium futuro, telas suas altius attollant. Item de Crocodilo, si ex eius nido auctus Nili quantitas prę sciri potest, quia

Lib. 8. c. 28

Lib. 10. cap. 33.

Lib. 8. c. 25.

ſemper extra illum locum incubet,ad quem ſummo auctu eo anno Nilus egreſſurus eſt. Hæc enim maiora ſunt, quàm vt à beſtijs per inſitam induſtriam præſtari queant. Nō vulgaris etiam eſt ea prudentia, quam in nidis & latibulis ſuis conſtruendis beſtiæ declarant. Primum enim hirundo nidum fabricatura, feſtucas ore portat, lutum verò quod pedibus tollere non valet, ſummas alarum partes aqua madefaciendo, ac deinde intenuiſsimo puluere volutando conficit, eoq́ue velut glutine feſtucas coniungens, nidum machinatur, in quo ſobolem ſuam enutriat. Lanam quoque de ouium velleribus decidentem è pratis colligit, vt ouis & pullis ſuis molle ſtratum ſubijciat. Eaſdem ſcribit Plinius in Heracleotico Nili oſtio nidorum talium continuatione molem euaganti Nilo inexpugnabilem ſtadij ferè vnius longitudine opponere. Quod ſanè quomodo ſine Dei nutu facere queant, intelligi non poteſt. Apes mirabili artificio mellis receptacula extruunt. Nam in tenuem membranam extenſa cera, crebras & continua ſerie cohærētes conſtituunt cauitates; vt frequentia earum, quæ ſingulæ imbecillæ ſunt, toti ſtructuræ robur addat. Quælibet enim fiſtula alteri nectitur, tenui ſepto illi coniuncta pariter & ab eadem ſecreta. Vna autem fauorum

Habitacula beſtiarum.

rum

rum contignatio alteri superincumbit: quia si vna esset, nullo diaphragmate intersepta concauitas, in quam mellis liquor infunderetur, ea tanto põderi nequaquam par esset. Disce hic etiam quod inuenta Geometriæ parergum sint operis, quod sapientissima apis ductu naturę facit. Nam isopleura hexagona, quæ Geometra sine circino delineare non valet, ipsa accuratissimè etiam in tenebroso alueari citra omnis organi adminiculum elaborat, eaque non è directo sibi inuicem opponit, ne fundi nulla soliditate subnixi leni momento fathiscant: sed anguli inferiorum sexangulorum basis & sustentaculum superiorum existant.

Hanc apum solertiam oratione secunda de Theologia magnificè D. Gregorius Nazianzenus extollit. Vnde, inquit, apibus ars & industria, vt fauos concinnent per fistulas hexagonas, & sibi mutuò oppositas, & firmitatem ijs per septum intermedium, & permutatim sibi mutuo attextos cellularum angulos concilient, idque in aluearibus tam obscuris, & formatione tam procul à sensu remota? Hæc Nazianzenus. Sed neque locorum illæ mutationes tam necessariæ animãtibus, hoc loco pręteriri debent. Hę enim, si quicquam aliud, insignem eorum sagacitatem produnt. Pontici pisces ex Hellesponto Migrationes auium & piscium

& alijs vicinis maribus in Pontum Euxinum gregatim commeare solent, cum tempus fœturæ ipsorum in propinquo est. Etenim illud mare dulciores aquas habet, propter exiguam solis, qui dulciores partes educit, in locis ad Boream deuergentibus efficaciam. Quocirca longè oportunius est, ad fœtus piscium recentes educandos. Cùm verò id, cuius causa peregrinationem istam susceperant, ad exitum perduxerunt, retrò vnde venerant reuertuntur, partim quòd nulla causa sit, cur ibi diutius morentur; partim quòd hiberno tempore istius maris habitatio non esset periculo caritura. Cùm enim exiguæ sit profunditatis, hibernis tempestatibus aquæ ipsius turbidiores fiunt. Porrò hanc piscium migrationem D. Basilius non solum fando se audisse, verumetiam suis oculis non sine ingēti stupore conspexisse testatur. Grues, ciconię, hirundines, sturni & multò plura auium genera, cum in vna regione diutius versari non possunt, quò migrare & quas sedes quærere debeant, vt se à fame & frigore tueantur, probè cognitum habent. Nec potuit vsque in præsens quisquam mortalium, quod sit eorum asylum, cum à nobis recedunt, deprehendere. Affirmat Olaus Magnus in septentrionalium locorum descriptione inuētas in stagno demersas hirundi-

7. Concione hexaëmeri.

rundines,quæ cathenę inſtar cohęreſcebant, ſequentis roſtro in præcedentis anum inſerto;eaſque igni ad motas,ſenſum & vitam recuperaſſe. Idem de ciconijs compertum eſſe tempore Othonis quarti, ſcribit Baptiſta Fulgoſius in capite de miraculis. Verùm an omnes aues, quo tempore non comparent, in aquis demerſę iaceant,ignoratur. Vltimo locum ſciri velim beſtias nonnullas in commune conſulere,& reipublicæ quãdam formam habere. Primum enim de apibus vulgatiſsimum eſt, habere eas regem, eumque loco honoratiorem in aluearibus occupare, nec ſine eius ductu tota examina iterfacere. Ferũt& emeritas, ac eas quæ laboribus fractæ ſibiipſis cõſulere nequeunt,aliena induſtria ſuſtẽtari:alias verò,quę laboris patiẽtes otiari,& nihilominus ex reliquorum ſudore partis opibus viuere cupiunt, ex aluearibus expelli. Hæc & plura alia non ſolum Virgilius, quem licentia poetica fortaſſe nonnulli metas veritatis excedere ſuſpicabũtur, ſed & Plinius hiſtoriæ naturalis ſcriptor commemorat. De gruibus hunc in modum Solinus ſcribit. Non piguerit meminiſſe quatenus expeditiones ſuas dirigant. Sub quodam militiæ eunt ſigno, & ne pergentibus ad deſtinata vis flatuum renitatur, arenas devorant, ſublatiſq; lapillis ad moderatam


Reſpublicę brutorũ

Cap. 14.

grauiatem saburrantur. Volatus desidiam castigat voce, quæ cogit agmen. Ea vbi obraucata est, succedit alia. Excubias nocte diuidunt, vt exsomnis sit decima quæque. Vigiles ponduscula digitis amplectuntur, quæ si fortè exciderint, somnum coarguant. Est & inter formicas quędam reipublicę species. Nam hæ communiter cibum quærunt, integræ fessis, aut sub onere succumbentibus opitulantur. Vita defunctas reliquæ solenni pompa sepulturæ mandant. Hæc enim de ipsis Hieronymus in vita Malchi monachi memoriæ prodidit. Sed exemplorum, ex quibus brutorum admiranda solertia perspicitur, hic finis esto.

Bruta nequaquam per innatas vires facere, quæ supra commemorauimus.

CAPVT II.


Ntequam ex animantium artificiosis operibus Dei prouidentiam demonstremus, docendum erit, non sufficere innatas ipsis vires ad reddendam eorum, quæ superiori capite recensuimus, rationem. Id verò hunc in modum probari potest. Si brutis animantibus innata est quædam vis ad talia peragenda; ea vel erit ratio, vel natura. Sed neutrum horum dici potest.

Ac

Ac primum quidem non inesse brutis rationem, ex eo liquet, quod quæ ex propriæ rationis iudicio operantur, non eodem cuncta modo, sed pro suo quodque arbitratu agãt; bruta verò eiusdem speciei similem magnitudinem ac formam, & cætera omnia quam simillima suis operibus impertiant. Insuper quicquid propria cuiusquam ratio exculpit, id si magna consideratione opus habet, non sine aliqua meditatione & exercitatione perficitur, & progressu temporis melius addiscitur. Atqui bruta simulatque nata sunt, artes suas ad vnguem callent, nec magis scitè post multorum annorum exercitationem operantur, quàm dum primò inciperẽt. Adhæc si bruta suas actiones ex præscripto rationis moderãtur, non possent ea quæ populatim ad quærendas nouas sedes emigrant, ad eiusmodi profectiones vnanimi consensu suscipiendas impelli, nisi aliquis publico edicto proposito diem itineris designaret. Nam vt casu in eundem diem omnium voluntates concurrant, prorsus incredibile est.

Præterea si apis & canis ratione præditi sunt, ergo non minus ab homine different, quàm à se inuicem, nec animal per rationale & irrationale in hominem & brutum distinguetur; sed cum ratio sit omnium animali-

um communis, alia quærenda est differentia, quæ hominem à reliquis secernat. Quæ omnia tam absurda sunt, vt bestia stupidior sit, qui ea posit in animum inducere. Quòd verò neque à natura ijs tributum sit, tam artificiosa opera machinari, difficili⁹ quidem, sed probabitur tamen, Deo nostros conatus fortunante. Vt igitur hinc exordiamur, non est dubitãdum, quin in brutis eius quod agunt quædam notitia præcedat, eo quòd motus ille membrorum, quo vtuntur in suis operibus conficiendis non sit naturalis, cuiusmodi est grauium in sua loca descẽsus; sed animalis potius. Animalis verò motus cognitione à naturali discernitur. Habet igitur vnaquæque bestia operis sui quandam imaginem vi cognitiuæ impressam.

Quæ imago si ex natura ipsius sine causæ externæ adminiculo profluxit, multò brutorum natura perfectior, quàm hominis erit. Hominis enim mens omnesque aliæ vires cognitiuæ, similes tabulæ rasæ in qua nihil depictum est, ab Aristotele in lucem prodire dicuntur. Infans recens natus nil nisi plorare nouit, & nisi mammæ ei in os ingererentur, ipse per se eas nũquam quæsiturus esset. Integro quoque semestri non potest matrem suam à cæteris mulieribus distinguere. At verò bruta omnifarijs artibus &

habi-

habitibus instructa nascuntur. Norunt expeditè omnium membrorum vsum, discernũt suam genitricem ab alijs bestijs eiusdem naturæ. Agni in maxima turba ouium, prætertitis cæteris, quarum vbera maiori lactis copia distenduntur, solam matrem requirunt. Et quod magis admirabile, etiam gallinæ incubatione exclusi anates deserta putatitia matre ad aquas properant, ipsa nequicquam eas reuocante, & lamentis vsque ad ripam prosequente: adeò non ignorat vnaquęque bestia locum, cui incolendo destinata est. Sunt qui dicunt bruta suæ conseruationis quandam speciem à natura habere, & ideò scire quos musculos mouere debeant, cum incedendum aut quicquam aliud ad tutelam vitæ necessarium agendum. Verùm his ego hominem oppono, q, cum primum nascitur non habet eam rerum necessariarum notitiam, & tamen multò quàm illa nobiliorem naturam adeptus est. Quodsi hominis natura, propter primorum parentum inobedientiam meruit, vt hac in parte brutis animantibus longè inferior sit, quod Christianorum theologi docent, profectò quemadmodum ipsa tanto bono spoliata, non à se illud habuisse tantum non exerta voce testatur, ita etiam nuditas illa, cum qua in mundum prodit, documěto est, quid bru-

Cardanus de subtilitate.

tis longè ignobilioribus euenturum esset, si eorum natura sibi relinqueretur. Secundo, cum dicimus habere bruta quandam apud se ideam suorum operum, ac eius subsidio tantos artifices videri, non ea volumus in illam ideam cogitationem defigere, & ad illam velut exemplar suum opus elaborare; hoc enim si facerent, ratione vterētur. Quod enim maius rationis indicium esse potest, quàm finem velut principium agendi intueri, & ex eo media, quibus ad illum peruenitur, velut complexiones colligere? Sed quēadmodum is, qui habitum alicuius artis sibi comparauit, sine deliberatione, imò nonnūquam aliud agens, nihilominus expeditè eam artem exercet, ita etiam bruta sine vlla totius operis, quod moliuntur apprehensione, & nihil de fine quo tendunt cogitantia, ad eum, duce quodam habitu, qui sit arti perfectę similimus, progredi statuimus.

Vt autem habitus artis in ordine quodam specierum, quibus corporis & mēbrorum legitimæ agitationes repræsentantur, constitutus est; ita minimè dubitādum, quin & bestiæ simulacra eorum motuum, quibus ad finem sibi propositum perducuntur, in interiori sensuum officina ordine quodam digesta circumferant. Aut explicetur, quo pacto vel sine omni cognitione operando à

rebus

rebus inanimis distinguantur, vel sine ordinata cognitione tam mirabilis in eorum operibus ordo appareat Si autem ordine certò in facultate eorum cognitiua species agendorum dispositæ sint, alius profectò erit huius ordinis auctor, quàm natura. Illa enim, quando adhuc nulla cuiusquam rei notitia imbuta est, quomodo tam solerter eas imagines digerere potest, cum maioris artificij sit ipsum habitum artis producere, quàm postquam genitus est, secundum ipsius præscriptum operari? In homine parens artium est ratio multò ipsis artibus pręstantior, pręcedunt frequentes meditationes, & tandem vix longo vsu ἕξις comparatur. Quid autem illud in brutis, quæ ratione carent, tam eximium esse potest, quod antequam vlla arte instructum est, tanto pollet ingenio, vt puncto temporis habitu se ad ritè obeunda sua munia confirmet? Præterea vt concedamus non esse absurdum, quòd anima suo corpori certum quantitatis modum, & certam figuram ac lineamenta determinet, eo quod omnia quæ natura constant, certam magnitudinem deposcant, nec informe, aut qualicũque ratione figuratum corpus, idoneum sit animę domicilium: nulla tamen ratio à brutorum natura peti potest, cur tanta & non maior sit operum quæ struunt magnitudo, Arist. 2. de ani. cap. 4.


item cur hanc potius, quàm aliam ipsis figuram tribuant. Quam, quæso, rationem afferemus, cur apes fauorum cellulas non paulò vel minores vel maiores fabricētur, cur sexangulam & non aliam ipsis figuram indant? Quod si nulla huius rei causa ex apum natura reddi potest, sequitur eiusmodi cellulas struendi notitiam ad extraneam causam referri debere. Postremò si ex vi naturali tāto artificio exteriorem materiam bruta efformant, nullis rationibus doceri potest Deum mundi opificem sapere, aut intelligenti natura præditum esse. Vnica enim ad hoc probandum via est, ostendere mundi singulas partes ita vt par erat, constitutas esse. Quæ ratio nullum pondus habebit, si ex naturæ instinctu & sine vllo mentis iudicio bruta sic operentur, vt melius nō possent, etiamsi operum suorum rationem intelligerēt. Si enim in illis natura expers intelligentiæ tam miranda valet efficere, cur non & in huius mundi opifice valeat? Philosophi ergo qui Deum sapiētem esse statuunt, ne sine ratione id facere videantur, cauere debent, ne tantas vires naturæ tribuant, vt sine ductu mentis à qua regatur, ipsa per se artifex sit. Ne tamen quisquam hæc ijs aduersari existimet, quæ libri primi capite 6. dicta sunt, vbi probaturi Deum esse naturæ auctorem,

Solutio obiectionis.

assumebamus, impetum quo vnaquæque res in finem suum contendit à natura ipsi inesse; fatemur vnumquodq; animal naturali quadam vi ad suas functiones exequendas incitari: verùm negamus vllam esse facultatem naturæ, quæ sine externo subsidio animantia ad fines, quibus à natura destinata sunt, perducere valeat. Habent & homines à natura suæ perfectionis quædam extrema lineamenta, verùm non inde mox efficitur non indigere eos habitibus & alijs adiumentis naturæ superadditis, vt suam absolutionem consequantur. Atque hunc in modum ostendũtur ea, quę in primo libro attulimus, non pugnare cum ijs, quæ de aduentitia brutorum sagacitate in præsenti disputantur. Reliquum igitur nunc est, vt ratiocinationem, qua ex brutorum artificio Deus eorundem curator esse demonstratur, concludamus.

Ex præcedentibus sequi bruta animãtia Deo curæ esse.

CAPVT III.



VISquis argumentis superiori capite propositis cõmotus, existimat non inesse brutis omnium eorum, quæ mirabili industria machinantur, peritiam naturalem, is haud grauatè concedet, DEVM

ipsis

ipſis in prima origine artem quandam impertiri, qua deinceps per reliquum vitę tempus vtantur. Quis enim alius præter ſummum totius orbis monarcham, tot mundi partibus vno eodemque tempore ſe præſentem ſiſtere, & vilem brutorum naturam tãta ſapiẽtia expolire poſſet, vt homines quãtumlibet artificioſos quædam beſtiæ procul à tergo relinquant? Dubitari à nonnullis video, qua Dei energia beſtijs tantum ſapientiæ accedat; nam Cardanus exiſtimat diuinum intellectum cunctis rebus præſentem, ſed propter corporis diuerſam temperationem, vnam rem alia diuinæ illuminationis capaciorem eſſe, ac tanto vnumquodque ſapientius euadere, quanto plus diuini influxus recipit; proinde plantas, quia intro ad eas, propter temperationis vitium, diuina mens penetrare non poteſt, prorſus ſtupidas relinqui. Alia ratione Platonici ad DEVM reuocant, quę bruta propter ſuæ rationis inopiam per ſe facere non poſſent. Aiũt enim DEVM eſſe mundi totius animam, & eius quandam portionem à particulari qualibet natura poſsideri. Sic enim Virgilius 4. Georgicorum Platonis hac de re ſententiam exponit.

In libro de animi immortalitate.

quidam

Eſſe apibus partem diuinæ mentis & hauſtus
Aethereos dixere, Deum namque ire per omnes

Ter-

Terrasq; tractusq; maris cœlumq; profundum,
Hinc pecudes armenta viros genus omne ferarũ,
Quenque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viua volare
Sideris in numerum atque alio succedere cœlo.

Cùm igitur in eo conueniant omnes, quod, si quisquam bestias eorum quę acturę sunt peritia instruat, is non alius sit, quàm DEVS, omissis absurdis, & ad indoctorum plausum captandum confictis nugis, simpliciter confiteamur, infundi bestijs quædam habituum adminicula, vt quia ipsa sibi illos adinstar hominum propria exercitatione parare non possunt, alia ratione ad suas functiones obeundas idoneæ fiant. Nec opus est longa disputatione refellere, quæ Plato & neoterici, vt aliq̃ sapientię brutorum rationem redderent, commenti sunt. Nam simplex véræ doctrinæ expositio, facilè omnes tam turpium errorum nebulas discutiet.

An organa in viuentibus à natura, an ab extraneo plaste formentur.

CAPVT IIII.

VENIMVS nunc ad disputationem longè intricatissimam, de vi schematistica in viuentium seminibus, quæ artificio tam admirabili ex rudi & impolita

polita

polita materia visendę elegantię instrumenta efformat, in qua etsi complurium doctissimorum hominum ingenia se exercuerint, adhuc tamē nodis plusquam Gordianis implicita manet. Quos cum me soluere posse desperem, vix operæpretium videretur ex organorum formatione Dei erga res sublunares prouidentiam confirmare, nisi omnes veteres, qui hanc materiam tractarunt, vel maximè hoc argumento niterentur. Exponam igitur quanta maxima plausibilitate hanc rationem, sed postea neque taciturus sum, cur mihi illa non omni ex parte satisfaciat. Primùm igitur, si vis quædam insit in semine, quę singulis membris congruentem figuram impertit, quæro num ea sit tota in singulis eius partibus, an verò diuisim pars formatiuæ virtutis cum parte seminis coniungatur. Si tota ea virtus singulis partibus insit, incorporea, & immaterialis erit profectò, & proculdubio Deus. Nam formæ quæ materię inhęrent, ipsius contagione diuiduę efficiūtur. Atq; idcircò in diuersis locis totæ nō queūt existere. Si verò pars eius parti seminis dūtaxat cōiūgitur, tūc pereūte aliqua seminis portiuncula, aut à toto detracta, necesse esset fœtum aliquo membro captum in lucem edi, cumque semen in geminorum aut trigeminorū materiam diuiditur, quod in canibus & suibus perpetuò vsuuenit, in

Virtus formatrix, an indiuidua

quaque portione dimidiata duntaxat existeret. Vnde fieret, vt diuersi fœtus vno partu nati, totam animalis figuram inter se partirentur. Atqui hoc nunquam euenit. Falsum est igitur virtutem formatricem per partes in semine latere. Modò autem demonstrabatur, si vbique tota esset, fieri non posse, vt in materia inhæreret, spiritualis ergo & incorporea sit necesse est. Atque hic est vnus modus à vi formatiua argumentandi. Alter est eiusmodi. Semen licet actu sit ὁμοιομερὲς, potestate tamen partes diuersæ naturę continet. Videmus enim vt lac in serum, caseum, & butyrum facessit, ita seminis aliud in os, aliud in neruum, aliud in aliam partem similarem transmutari. Cùm verò in semine, priusquam coagulatum fuerit, omnes illæ particulæ inter se permistæ sint, post coagulationem sibi inuicem interspersæ erunt. Quare vt animal figuretur, ac membra ad vsum habilia fiant, quamque ad sui generis partem coniūgi oportet; ac deinde per additionem & detractionem formari. Nam id quod primum rude est, quomodo figuram idoneam nancisci potest, nisi vna parte ipsi quippiam addatur, & alia rursum detrahatur? Hæc autem sine particularum ad omnem positionis diuersitatem traiectione fieri non queunt. Sed naturalia agē-

tia in

tia in vnam partem determinata sunt: tanta igitur motionum varietas non naturam, sed altiorem quandam causam significare videtur. Præterea, si vis formatrix in semine sita est, vel ergo accidens eius, vel substantia erit. Non accidens, quia rursum quæro, num separabile, an inseparabile. Separabile dici nō potest, quia non solum in semine perpetuò inest, sed etiam in animali quoad viuit permanet. Videmus enim carnem amissam eadem forma, quam principio habebat instaurari, & quæ per incrementi tempus ei quod primo figuratum fuit adijciuntur, eadem lineamenta retinere. Si verò inseparabile statuatur, ex substātia ergo profluxerat, & pcipua formationis causa erit ipsa substantia seminis, quod ab aduersario concedi volebamus. Sed neque substantiam esse membrorum σχηματιστὴν sit verisimile. Vel enim semen animatum dicitur, & hoc, licet à magnis quibusdam auctoribus dictum sit, multis tamen de causis incredibile est. Primum enim ex equi cum asina congressu mula nascitur, quæ specie ab equo differt; atqui si semen equinum animatum erat, qua μεταμορφώσει in locis maternis ex equo mula fieri potuit? Insuper si humanum semen antequam in vtero coaguletur, anima preditum fuisse dicitur, quæ nam illa anima erat? An ratio-

Iulius Scaliger.

rationalis? Homo igitur eſt humanum ſemen. Aut ſi hoc nimis abſurdum, an ſenſitiua aliqua anima ſemini ineſt, quæ aduenturæ menti ſedem & domicilium apparet? Sed quis credat ſentientem animam poſſe corpus hominis accommodatè ad vſum rationalis animæ efformare? Denique nunquam Ariſtoteli in mentem venit, ſemen animatum ponere. Cùm enim quæſiuiſſet, num ſemen animam habeat, ſic reſpondet: δῆλον ὅτι καὶ ἔχει καὶ ἐςὶ δυνάμει. ἐγγυτέρω δὲ καὶ πορρωτέρω αὐτὸ αὑτοῦ ἐνδέχεται εἶναι, ὥσπερ ὁ καθεύδων γεωμέτρης τοῦ ἐγρηγορότος πορρωτέρω, καὶ οὗτος τοῦ θεωροῦντος. Id eſt, certum eſt ſemen habere animam, quæ ſit potentia. Nihil autem prohibet, quo minus idem ſit ſeipſo propinquius & remotius; quemadmodum geometra dormiens vigilante remotior, & hic eo qui contemplatur. Atque ex his verbis D. Thomas, Auicenna, & alij ſemper intellexerunt, non aliter quàm virtute ſemen animatum eſſe. Quodſi tamen quiſquam ſperaret ſe poſſe in alium ſenſum illa detorquere, is ſi paulò altius repetito principio legere incipiat, adhuc manifeſtius ſemen animatum eſſe negari videbit. παυομένης τῆς κινήσεως, φησὶ, γίνεται ἕκαστον τῶν μορίων καὶ ἔμψυχον, id eſt, motu ceſſante (quo ſemen figuratur) vnaquæque particula fit animata. Rurſum

Libr. 2. de generatione animalium.

descendens paulò inferius. De modo quo anima est in conceptu & semine, & quo non est, iam determinauimus. Potestate enim habet animam, ἐνεργείᾳ non habet. Adhæc si semen animatum, an toti, an verò subtiliori eius spiritui duntaxat anima inest? Si in toto semine inesse dicas, manifestè repugnabis Aristoteli. Is enim in spiritu solo vult naturam residere, quam corporis formatricem constituit; quæ si anima sit, (vt Scaliger contendit) solus ille spiritus animatus erit. Cùm autem ex crassiori liquore membra formentur, cum illa statim à principio animam nō habuerint, necesse est, vt ea quę in spiritu inerat, deserto veteri domicilio, ad membra se conferat. Atqui formas de subiecto in subiectum migrare impossibile est. Atque hæc argumenta sufficere existimo ad probandum, nō solū falsum esse, ꝙ neoterici de anima in semine latente docent, sed neque Aristotelicum. Verùm etsi hoc illis concederemus, adhūc non apparet, quomodo anima sibi corpus fabricari posset. Multa enim in homine & brutis reperiuntur, quæ ad nullum vsum animæ facta esse liquet, vt virorum mammæ, surarum pulpæ & id genus alia plura, quę non tam vsum pręstant, quàm venustatem conciliant. Insuper anima illa, si qua esse fingatur, nec sapit, nec cogitat quic-

quam

quam; quare cum particularum figuratio opus sit admirabilis cuiusdam sapientiæ non debet illi animæ attribui. Summam, inquit Galenus, in fœtuũ cóformatione & sapiẽtiam & potẽtiã video, neq; possum existimare eam, quæ est in fœtu animã quidẽ, sed naturam appellatam, ipsum fœtum conformare, vt quæ non modo sapiens non sit, sed omni ratione careat. Sic Galenus. Si ergo seminis substantia, quam ponit aduersarius organorum formatricem, non sit anima nasci-turi fœtus, vt ex præcedentibus perspicitur, restat vt alia quædam eius forma locum, figuram, numerum, & cætera, quæ ad salutem animantis requirũtur, vnicuique parti conferre dicatur. Atqui neque illud minus absurdum est, quàm quod prius dictum fuit. Imò si tolerabile erat animam suo corpori idoneam figuram impertiri, quis ferat formam ab anima diuersam, corporis, è quo ipsa, cum perfectum erit, facessere cogetur, architectam dici? Sed ait Aristoteles rem se habere in animalium genitura, vt in automatis instrumentis. Vt enim in his exterior quispiam partem vnam mouet, & illa mota consequentem in actum perducit, ac eo modo fit, vt exterior ille mouere dicatur, non quia tangit instrumentum, sed quia tetigit, ita etiam is, qui facit sperma, dicitur forma-

Galenus libro de conformatione fœtus.

tionis organorum esse causa, nonquia nunc quicquam agit,sed quia egit. Non igitur seminis vllam partem esse causam generationis, eo quod nihil seipsum generare possit, sed id quod extrinsecus primo mouet. Idem non aliam vult in semine causam esse formationis,quàm motum, qui ipsi à generãte impressus est, quomodo ædium causa est ipsa ædificatio. Sed hunc tamen motum interpretatur non esse ipsam passiuam seminis immutationem; facile enim animaduertebat fieri non posse, vt is motus permaneat, illo,qui principium ipsi dederat, recedente: sed motum hunc vult esse veluti speciem ideam quandam & corporis fabricandi, respondentem ideæ artis in mente artificis. vt enim illa virtute continet omnes motus, quibus materia perpolitur vt formam artis recipiat,ita quoque hæc futuri corporis species à parente semini impressa,omnes motus potestate continet,quibus semen accommodatam figurationem adipiscitur. Neque enim aliter differre artem à natura, quàm quod ars sit forma & species eius,quod fit in mente artificis,naturę verò motus sit eadem rei efformandæ species, sed in ipsa quæ efformabitur materia delitescens. Summa autem omnium huc redit,in spiritu seminis residere formam, quæ sit animæ virtus, & veluti fabri-

Aristotelis de virtute formatrice sententia.

fabricæ organorum idea, atque ideò mirum non esse, si ipsa corpus animalis apte ad vsum animæ figurare queat. Subtilis est hæc quidem & digna Aristotele auctore sententia, sed tamen contra quam non pauca obijci possunt. Primum enim si vna motio à parente profecta, qui actu existebat quod semen potentia, τῷ κυήματι imprimatur, vnde sexuum diuersitas? Idem certè Aristoteles, cum diu in quarto de generatione hanc quęstionem versasset, non potuit secundum positam à se formationis causam aliud quicquam afferre, quam nonnunquam ob debilitatem generatiuę virtutis in patre, & abundantiam materiæ quam mater suppeditat, fieri, vt in fœtu virtus alimentum in semen mutandi deficiat, ac tum naturam, ne frustrà quippiam agat, non ea membra animali tribuere, quæ semen percoquant & generandæ prolis sint instrumenta, sed alia, quibus indigesta materia & in semen transire non valens, contineatur. Verùm si pro re nata mutatur corporum in animalibus efformatio, proculdubio formator eorum non erit vllum naturale agens, sed aliquis mente pręditus, qui pro diuersa rei subiectę conditione, diuersa ei membra construere potest. Nec melius hunc modum Galenus dissecare videtur, cum dicit fœminas

Causa diuersitatis sexuum secūdum Aristotelem

gigni, quia ob debilitatem caloris membra genitalia, quę primum introrſum conuerſa erant, non poſſunt foras protrudi. Hic enim dicere cogitur, ſexuum diſtinctionem eſſe πάρεργον naturæ, cum nihil in toto animali ſit, quod magis ſtudioſè factum eſſe conuęniebat. Inſuper vnde hauſit Galenus hanc de genitalis membri intro conuerſi protruſione ſentẽtiã? An ex eo, ꝙ ſi fingamus maſculorum pudendum introrſum verti, glans matricem referet, & cætera fœmineis membris reſpondebunt? An quia ex anatomia compertum eſt, non ſtatim in embryo maſne ſit an fœmina apparere; verùm ſerò tandem ea membra, quæ ſexum diſtinguunt, in lucem prodire? Sed hæ nil niſi futiles coniecturæ ſunt, nec ad tantam rem demonſtrandam ſatis roboris habent. Adde his, quod ea comparatio, qua ſuam de vi formatrice ſententiam fucare vult Ariſtoteles, non ſatis aptè quadrare videatur.

Nam habitus artis in mente artificis non eſt ſimplex aliqua forma, ſed è multis particularium motuum ſpeciebus compoſita, quę, quia inter ſe quodam ordine connectũtur, idcircò vnum habitum conſtituunt. Sed talis ſpecierum congeries in ſemine ſtatui non poteſt, ſed quæcunque ea forma ſit, quę membra figurare dicitur, ſimplex ſit neceſſe

eſt,

est. Dicat etiam Aristoteles, quis parens sui speciem in ea semina imprimat, ex quibus ἔντομα gignuntur. Quod si in ijs hic modus formandi locum non habet, neque in perfectis animalibus habebit. Cùm igitur inexplicabile sit, quomodo à naturali agente partes humani corporis congruēti figura expoliantur, multi non vulgares Philosophi crediderūt peculiare Dei op⁹ esse, hāc organorum conformationem. Plato in Timæo docet, animas quidem à DEO effectas esse, sed corporum structuram inferioribus dijs cōmissam esse. Galenus tametsi dubitet alicubi, num Deus similiter atque illi, qui miracula moliuntur, (hi cum motus initium dederint discedunt, machinæ verò aliquantisper artificiosè mouentur) stirpium, animaliumque semina in quandam motuum continuationem idonea præpararit, ac postea nihil agat, in libris tamen de vsu partium liberè profitetur mentem quandam animalium corpora fabricari. Quis non, inquit, cum hominis cutem inspexerit, mox cogitat mētem admirabili potestate præditam per terram ingredi, & in omnes eius partes extendi? D. Augustinus lib. 7. de genesi ad literam cap. 22. de præsenti quæstione sic scribit. Isti (Epicureos notat) si viderent tantum ordinem quantus in membris carnis cuiuslibet

Plato.

Galenus.

D. Augustinus.

animãtis apparet, non dico medicis, qui hæc propter artis suę necessitatem diligenter patefacta & dinumerata rimati sunt, sed cuilibet mediocris cordis & considerationis homini, nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, à quo est omnis mensurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quàm eam totam esse vacuam nutu & regimine prouidentiæ, cuius extrema & exigua videas tanta dispositione formari, vt aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiāt admirationis horrorem? Et cum animæ natura corporis antecellat, quid est dementius, quam putare nullum esse diuinæ prouidentię iudicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta eius solertiæ clareant, & demonstrentur iudicia? Idem sensisse veteres theologos omnes quot quot hanc materiam tractarunt, facile doceri posset, nisi longum foret eorum testimonia recitare. Ex recentioribus verò Scotus & Gregorius de Arimino, ambo præcellentis ingenij Philosophi, eiusdem sententiæ fuerũt. Et haud scio, an Christianis per auctoritatem sacrę scripturę aliud credere liceat, eo quod illæ passim Deum hominis in aluo materno plasten indicẽt. Manus tuæ, inquit,

Iob,

Iob, fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu. Et paulò post. Nonne sicut lac mulsiste me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carne vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Et ad Hieremiam prophetam sic dominus loquitur: Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te. Hæc & plura alia ostendunt nullam virtutem formatiuam in semine inhærere. Verum neque pro contraria sententia desunt magni ponderis argumenta. Primum enim si DEVS corpora hominum format, neque filij figura est à parente deducta, vnde tanta liberorum ad parentes similitudo? Deinde cum Deus nulla temporis mora indigeat, vt materiam euincere, & pro suo libitu immutare possit, mirum esset, quare tam lentè procederet in humani corporis ex semine structura. Tertiò, cum DEO æquè facile sit ex lapidibus, quam semine humanum genus propagare, cur non nisi ex semine id facit? Cur tempus formationis masculi semper æquè longum? Quare idem ordo obseruatur in cuiusque partis generatione, cum Deo æquè promptum foret ab hepate, quàm à corde incipere? Denique nec sacræ literæ ab huiusmodi animalium generatione abhorrere videntur. Nam septem illorum Maccabæorum mater suos fili-

Iob. 10.

Argumenta in contrariã partem.

V 5 os ad

os ad perferendam pro iustitia mortem animatura, nescio, inquit, qualiter in vtero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim creator mundi, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit origi-
2. Macc. 7. nem &c. En videtur hoc loco scriptura sacra, non aliter Deo membrorum figurationem tribuere, nisi quia formauit hominis
Actor. 17. natiuitatem. Eodem pertinet, quod Paulus in actis ait: DEVM ex vno formasse omne hominum genus. Hoc enim quomodo verum sit non facile intelligetur, nisi corpora saltem filiorum parentibus accepta ferãtur. Cùm igitur tam multis vtrinque nodis perplexa sit hæc quæstio, ne rem ex se manifestam minus firmis rationibus incertam efficiamus, haud consultum videtur, ex artificiosa corporis humani fabrica specialem ꝓuidentiam corroborare: aut sanè ita cautè id faciendum, vt offendicula, quæ minus firmam videri hanc argumentationem faciunt, vel tollantur, vel euitentur. Euitari autem poterunt, si media quædam via inter duas priores multis scopulis impeditas aperiatur. Ea porrò erit, neque prorsus negare Deum aliquid opis ad formationem fœtuum conferre, neque nullas parenti in eo of-

ficio

ficio partes relinquere. In particulari verò ſuam cuique prouinciam aſsignare, & quid DEVS, quidúe parentes faciant decernere, nec facile nec neceſſarium exiſtit. Sufficit enim in genere intelligi, non eſſe abſurdum nec impoſsibile vtriuſque communem eſſe hanc actionem, ac eo modo fieri, vt ſoboles non rarò parentem aliqua ſui parte referat. Id autem ſic declaratur. Qui ſolam naturam huic operi præficiunt, ij cum rogantur, quare cum natura ſpecifica in omni ſemine eadem ſit, non etiam omnium hominum eadem forma, eademque membrorum delineatio exiſtat; nihil aliud reſpondere poſſunt, quam circunſtantias quæ ad naturam communem adiunctæ, eam indiuiduam faciunt, non ſolum in cauſa eſſe, vt non cunctis ſit eadem vultus & cæterarum partium habitudo, ſed etiam efficere, vt filij ſint parentibus ſimiles. Si ergo illi huius rei non aliam poſſunt rationem reddere, quid mirum, ſi ſub vno humani generis plaſte Deo, propter particulares proximarum cauſarum circunſtantias, maneat quædam parentum & filiorum ſimilitudo? Poſita etiam tali propinquarum cauſarum cooperatione, non amplius negotium faceſſent, quæ præterea obiecta fuerunt. Nam quia non pro ſua poteſtate hic agit DEVS, ſed miniſterio parentum

rentum ad sobolis generationem vtitur, nō requiri debet, quid ipse per se facere posset, sed quid naturæ, cui suas vires attemperare solet, conueniat. Atque hoc modo si ipsum corporis humani tam fabrè constructi opificem vsque in præsens manere dicamus, facile nos ab omnibus, quæ contra obijciuntur expediemus: id quod ij, qui prorsus contendunt sine Deo gigni animalia, nunquam facturi sunt. Quod cum probè sciret Auerrois naturæ vsque ad impietatem admirator, fassus est opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis. De cœli motore loquitur ille quidem; sed testor omnes veritatis studiosos, an non multò difficilius intellectu sit, quomodo per cœlum in orbem conuersum rude semen ad tantam elegantiam efformetur, quàm quomodo parens vim semini imprimat, qua seipsum illi assimilet. Vt igitur semel finem huic argumento imponam, aio, cum prouidentissimè animalium corpora fabricari cernamus, vel eam prouidentiam in mente diuina residere, & obtinuimus singularia à Deo curari, vel in bruta & rationis experte natura, & hoc perinde absurdum est, atque si dicatur videndi sensum extra oculos subsistere.

Adhuc alia quædam in sublunari mūdo cerni, ex

ni, ex quibus appareat DEI prouidentiam cœlo minimè terminari.

CAPVT V.

ANtequam ad experimenta, quę ex rebus humanis ſumuntur tranſeamus, alia quædam diuinæ prouidentiæ in ſublunari mundi parte documenta afferre decreuimus. Diligēter autem cauebimus, vt notha à germanis diſcernamus, quòd minimè committendum ſit, vt in cauſa DEI, non aliter, atque ſi is mendacio noſtro indigeret, friuolis argumētis certemus. Primum igitur Chryſoſtomus homil. 10. ad populum Antiochenum argumentum diuinæ prouidentiæ vult eſſe, quod terra, quæ aquas pondere vincit, ijſdem ſupereminneat, ac veluti leuior innatet. Verùm quia certum non eſt terram in aquis natare, imò quia probabiliꝰ videtur terram in medio & infimo totius mundi loco exiſtere, aquas verò in eius cauernis velut receptaculis contineri, ac multo eſſe terra minorem; idcirco non magnopere hoc vrgendum. Quemadmodum neque illud rectè ab ipſo pro miraculo celebratur, quod radij ſolis, quos ignitos vult eſſe, deſcendunt, cum alias in ſuperum locum ſoleat ignis contendere. Chryſoſt.

Nam

Nam responderi posset, aliud ignem, aliud radium esse, & ignem quidem in superum locum ferri, radios verò cuiuscunque corporis lucidi tam deorsum, quàm sursum emitti. Alijs non leue prouidentiæ DEI ad omnia pertingentis argumentum videtur, quod Oceanus quem ipsi terra sublimiorem existimant, suis limitibus se cohibens in continentem non effundatur. Sed ij non satis firmis rationibus probant, aquas in medio oceano instar montis aceruatas consistere. Nam quod S. Basilius de Sesostri affert, voluisse ipsum ex rubro ad Aegyptium mare fossam perducere, & coactum esse incepto desistere, quod intelligeret Aegyptum esse rubro mari depresßiorem, atque ideò non potuisse illi absque periculo accessum ad eam patefieri, nihil aliud ostendit, quàm littora esse mediterraneis illius regionis locis editiora; cuius rei Aristoteles rationem vult esse, quòd Aegypti magna pars sit Nili ipsam interluentis opus. Cumque prius loca à continente remotiora fluminis aggestione siccata essent, etiam quicquid in medio relinquebatur à pelago seclusum, paulatim arefactum esse quidem, sed littorum altitudinem minimè æquâsse. Malim igitur & hoc argumentum velut incertum relinqui; maximè cùm in lunæ defectu vmbra terræ semper

Lib. 1. meteorolog. ca. vltimo

A terræ supra aquas eminentia

ſemper rotunda appareat, id quod fieri non poſſet, ſi aqua in medio mari contra naturalem ſuam grauitatem ſuſpenſa penderet. Plus momenti habet, quod ijs locis, quæ ab animantibus incoluntur, terra aquarum elemento ſuperemineat. Cùm enim ſi vtrunq; elementum ſuæ naturę permitteretur, terra, pro ſua ad infimum locum propenſione, nó poſſet vna ſui parte quàm alia longius à centro abeſſe; id quia non fit, quàm aliam hic cauſam tanti miraculi fingemus, quàm Deum? Nec dici poteſt ſemel ita in mundi primordio terram DEI imperio extra aquas protuberaſſe, deinceps verò ſine ſpeciali eius cura in tali ſtatu permanere. Nam vt concedatur globum terræ ad tempus eiuſmodi figuram poſſe citra DEI opem retinere, quia tamen ea naturali ipſius ponderi aduerſatur, ſine vi maiore perpetua eſſe nequit. Vel igitur aliquando infra aquas terra ſubſidebit, ac viuentia cuncta ſuffocari neceſſe erit, vel ſi id Philoſophus admittere nolit, vtpote mundum ſtatuens immortalem, DEI prouidentia illam ſuſtentari dicat neceſſe eſt. Præterea quod elementa quum per anni tempus maximè infeſta eſſe deberent, vnius animalculi cauſa depoſita feritate miteſcant, eidemque copiam ſuos pullos ſine vllo negotio educandi præſtent; dubio Ab alcio-neis dieb⁹.

procul

procul clarissimum est diuinæ prouidentiæ argumentum. Est autem hoc animal auicula quam Græci alcyonem vocant. Hanc enim doctissimi naturalis historiæ scriptores tradunt sub ipsum brumæ tempus oua sua in littore ponere, ac post septem dierum incubationem pullos excludere, aliisq; totidem diebus illos educare. Per totos verò illos quatuordecim dies mare tranquillum esse, eaque de causa hos dies à nautis alcyonios vocari. Testis huius rei præter alios plurimos est etiam Aristoteles; nam eius libr. 5. de historia animalium hæc sunt verba. Alcyon parit circa solstitium hibernum. Quare cum serenum est solstitium, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur dies alcyonij vocantur, quemadmodum & Simonides cecinit sic inquiens:

λανθάνεμον ὥραν

Quando hiberno mense Iupiter tranquillat dies quatuordecim,
Ventilatium hoc tempus appel- lant terrestres,
Sacrum, nutritium versicoloris Alcyonis.

Et paulò post. Circa hæc igitur loca non semper alcyonij dies contingunt solstitij tempore. In Siculo verò mari propemodum semper. Hæc Aristoteles. In miraculis etiam veteres computarunt vultuum in tanta hominum copia diuersitatem, atque idcirco non leue momentum ad stabiliendam singu-

A vultuum diuersitate.

lari-

larium prouidentiam in eo positum esse arbitrati sunt. πῶς ἑστηκότα τὰ εἴδη καὶ τοῖς χαρακτῆρσι διεστηκότα; ὧν τοσούτων ὄντων αἱ ἰδιότητες ἀνέφικτοι; inquit Gregorius Nazianzenus oratione 2. de theologia. Id est, quomodo stabiles formę & characteribus differunt, cumque tanta sit earum multitudo, proprietates innumerabiles existunt? Et alius; Quis, inquit, videns formas in tot milibus hominum discrepantes, & nusquam per omnia conuenientes, non hoc opus admiretur? Et causam secum reputans, comperiet prouidentiæ imputandum, quod tanta formarum in hominibus diuersitas sit. Considera enim, si eundem perpetuò characterem seruarent, quanta omnium rerum confusio sequeretur; quanta ignorantia homines occuparet, dum neque domesticum, neque alienum cognoscerent, neque hostem & malum ab amico & bono discernerent. Haud dubium, quin, vt Anaxagoras dicebat, omnia in vnum permista essent. Si enim ita se res haberet, nihil obstaret, quo minus quis sororibus aut matribus consuesceret, aut prædaretur, aut in propatulo iniuriam irrogaret, si tãtum in præsens effugeret. Etenim postea conspectus non agnosceretur. Sic ille. Non ausim tamen hanc rationem inter palmarias reponere. Nam pertinacior quispiam

Nemesius libr. de homine.

am hîc negaret quicquam miraculi esse, verum idcircò tantam vultuum in hominibus diuersitatem inueniri, quod causæ particulares & circunstantiæ in singulis diuersæ reperiantur. Magis ad rem facit, quod multorum annorum experimentis compertum est eos, qui morte violenta consumpti sunt, etiamsi aliquot ab eorum cæde dies præterierint, imò si aquis suffocati sint, ad præsentiam vel cognatorum vel homicidæ sanguinem profundere. Huius enim, quæ naturalis ratio reddetur? An, quod nonnullos dixisse video, existimabimus aliquem cadaueribus inesse sensum, quo suæ cædis auctores ab alijs hominibus discernant? Atqui hoc nemò dicturus est, nisi ipsis cadaueribus stupidior sit. Restat igitur, vt occulta DEI potestate res à legibus naturæ tam aliena fieri dicatur, partim vt quâti sanguinis vinculũ sit faciendum intelligamus, partim vt homicidij auctores hoc modo prodantur. Iam enim aliquoties tali miraculo deprehensum esse constat, num ij, quos fama publica notabat homicidij rei essent. His non immeritò illud quis adiecerit, quod capilli; quos resectos perpetuò repululare videmus, si crescere pmittantur, non nisi ad certam longitudinem perueniant. Huius enim rei ratio non potest esse materiæ defectus, nam alioqui renascentibus

Ab eo quod interfecti ad præsentiam homicidæ sanguinẽ emittunt.

Leuinus Lemnius.

A capillorum certa longitudine.

tibus

tibus quoq; tandem materia deficeret. Nec dici poteſt ab anima certam illis magnitudinem præſcribi, prout ipſa reliquo corpori certum augmenti modum determinat; nam capilli animati non ſunt. Ac Galenus profectò quem de quantumlibet obſcuris quæſtionibus ſemper videas aliquid dicere, hîc tamen ingenuè ſuam ignorantiam confitetur. Id ergo cuius nulla ratio naturalis afferri poteſt, non malè fortaſsis inter diuina miracula numerabitur. Semper etiam admirabile mihi viſum fuit, quod ſtomachus cibos, matrix fœtum firmiſsime retinet, quoad hic maturuit, ille concoctus eſt. Niſi enim vel intellectu prædita ſint eæ partes, vel ſingulari quadam Dei prouidentia regantur, qui fieri poteſt, vt temporibus tam oportunis ſtringantur & laxentur; vt gallinæ vterus, qui aliâs tam anguſtum introitum habet, vt vix acus in eam inſeri poſsit, tempore partus tam latè pandatur, vt tantæ magnitudinis ouum ſine difficultate tranſmittat. Itaqui non dubitarem hanc rem inter diuinæ prouidentiæ argumenta referre, ſi per Phyſicos liceret. Hi enim contendunt eadem naturæ facultate hæc vaſa vim habere, id quod primum in ea inciderit, vndique amplectendi ac fibris & neruis ſuis cõſtringendi, atque idem cum ſic immutatum eſt, vt ipſis oneri futurum

esset laxatis ijsdem eijciendi. Plura etiã alia commemorarem, quæ magni auctores prouidentiæ ad sublunarem mundum pertingentis indicia esse voluerunt, & in primis quod vlmi, tiliæ, populi albæ, solstitij tempore sic vertuntur, vt alia parte cœlum respiciant, quam pridiè; quod rem vt stupendum prouidentiæ naturæ erga homines documẽtum tragicis vociferationibus Plinius prosequitur, nisi ꝙ vnus ꝓ miraculo ducit, alius naturæ acceptum ferre malit. His ergo omissis ad ea experimenta transibimus, quæ nulla tergiuersatione eludi possunt.

Li.18.c.27.

Humanum genus occulto quodam instinctu ad quasdam res gerendas incitari, idque primum rationibus probari posse.

CAPVT VI.



ANTEQVam ad experimenta historica veniamus, quæ hominem diuino instinctu subinde incitari testantur: non possum dissimulare, quid sentiam de vulgatissimo illo argumento, quo nonnulli existimãt se demonstrasse, primum actum voluntatis ab externo agente prouenire. Si enim aliquid virium hanc eorum probationem habere putemus, ideò negligi nõ debet, quod magno adiumẽto ad prouiden-

tiam

tiam illustrandam futura sit. Si verò eã nullius ponderis esse arbitremur; quàm iusta ratione ita sentiamus docendum erit, ne sine causa ab alijs dissentire videamur. Sic ergo nonnulli argumentantur. Primus actus voluntatis est amor finis; ex hoc enim eorum, quæ ad finem conducunt, amor progignitur. Is autem neque est ab ipsa voluntate, neque ab obiecto; ab alia igitur extranea causa proficiscetur. Non esse à voluntate ex eo perspicitur, quod tunc in hominis potestate situs esset. Nam actus quos voluntas ipsa in se producit, quomodo non erunt voluntarij? Sed amor finis seu boni in genere, non potest à voluntate respui, non est ergo in arbitrio voluntatis situs. Sed neque ab obiecto, quod cogitatio voluntati amandum offert, ea voluntatis actio existit. Nam si hoc obiectum sui amorem in voluntate necessariò producere valet, etiam quælibet alia valebunt, ac nulla eo modo libertas voluntati relinquetur. Quodsi nec ipsa voluntas sit huius primi actus effectrix, nec obiectum, sequitur aliud externum agens, ad eam efficiendam requiri. Illud autem proculdubio erit ipse Deus. Is enim solus in incorpoream hominis mentẽ ipse incorporeus illabi, eã q; ad boni amorem incitare valet. Præterea nulla res seipsam de potentia ad actum perduce-

Ratio ostendens primum actum volũtatis ab externa causa proficisci.

ducere potest, sed hoc ab eo quod in actu iam erat fieri necesse esse, quàm plurimis locis tradit Aristoteles. Sed voluntas in potentia solum est ad primum actum suum; ergo ab eo quod actu erat à potestate ad energiam traduci debet, Deo videlicet. Quin & Aristoteles hoc idem sentire videtur. Is enim cum lib. 8. Ethicorum Eudemiorum, de primo voluntatis motore quæstionem proposuisset, sic illam dissoluit. τόδε ζητούμενον τοῦτ᾽ ἐστὶ τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ. δῆλον δὴ ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς τὸ πᾶν κινεῖ, οὕτω πως καὶ πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δὲ ἀρχὴ οὐ λόγος, ἀλλά τι κρεῖττον. τί οὖν ἂν κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης εἴποι τις πλὴν θεοῦ. Id est: Quod verò queritur hoc est, quodnam sit motus in anima principium. Perspicuum sanè quemadmodum cũcta in vniuerso DEVS mouet, sic & omnia mouere, quod est in nobis diuinum. Rationis verò principium non ratio, sed præstantius quid. Quid verò aliud scientia præstantius esse dicat quisquam, nisi Deum? Hactenus Aristoteles. Præterea omnes Philosophi saniores fatentur hoc vniuersum non esse cogeriem naturarum quomodolibet cohærentium, sed quæ vno cõmuni vinculo connectuntur, ordine videlicet ad vnum primum motorem, quare ijdem, si defendere

velint hominem suprema sua facultate in partibus vniuersi numerandum esse, nec velut ἐξ ἐπιμέτρου & extra ordinē illi adhærere, eandē quoque à primo omnis motus principio gubernari cōcedāt, necesse est. Cùm verò mentis humanę motus non queāt ad primum vniuersi rectorem interuentu vllius corporis reuocari, eo quod virtus corporea rem tam subtilem attingere non valeat, restat vt spiritualem naturam ipse spiritus per se moderetur. Ad hæc quisquis considerat, quam mirabili ordine res corporeæ inter se coniunctæ sint, quodque omnes eorū motus ad vnius corporis, supremi videlicet cœli rapidissimam vertiginem, reuocentur, etiam si fortè Deum prorsus ignoraret ex illo visibilium ordine aliquid esse colligeret, à quo mentis humanæ, quæ sub aspectum non cadit, motus & cogitationes regerentur. Multò minus is, qui supra cœlos etiam Deum totius visibilis mundi choragum agnoscit, dubitare debet, an hominis voluntas, quæ ipsi similior est, quàm quicquam cæterorum, ejusdem regimini subiecta sit. Nec eludere Pōponati possunt has rationes, qui mentem per phantasiam, quæ cœlorum influxui subiacet, ad DEVM reducere conantur: nam phantasia non aliter in mentem hominis agit, quàm id quod intelligi & optari debet præsentando,

quod genus ἐνεργείας, nonnulli specificationem actus appellant. Sed in tali actione à cœlo phantasia non dependet, verum siue cœlum in orbem gyretur siue quiescat, quando phantasma vllum facultati intellectiuæ offertur, ipsa illud apprehendere potest. Atqui dependere debebat, si in eo totius vniuersi vnitas sita est, quòd in omnia primi motoris, si non immediatè, saltem alterius interuentu, efficacia dimanet, quemadmodum ad exercitus vnitatem pertinet, vt ad vnius ducis mandatum, quod per tribunos & centuriones ad quemque gregarium militem peruenit, vel moueatur, vel quiescat. Hæc est eorum ratio nonnullis additamentis à me locupletata; quam vt fateor non esse contemnendá, ita vereor ne quisquam dicat Aristotelem in illo Ethicorum Eudemiorum loco, nó aliter Deum facere nostræ voluntatis primum instigatorem, quàm quia is animarum nostrarum effector est, ac vim eidem impresit, obiecti præsentis notionem & amorem intra se concipiendi. Hæc est enim peculiaris eius philosophandi ratio, quæ alij per insitas vires fieri dicunt, hæc ille generanti attribuat. Attamen non solum de generali illa mouendi ratione locutum esse Aristotelem, indicio est, quòd tunc nihil ad propositam quæstionem respondisset. Quæreba-

rebatur enim, quæ esset ratio, cur vnus altero fortunatior esset, ac multis interpositis tandem concludit, primos animorum motus à Deo esse. Quo si nihil aliud significare velit, quàm DEVM humanæ menti facultatem eligendi indidisse, nihil ad Dionysium faceret hæc responsio. In sequentibus deinde, etsi textus sit valdè mutilus, facile tamē apparet, de illis instinctibus ipsum loqui, ꝑ quos fit, vt ij, qui rationem non sequuntur, sed ἐξ ἀλόγου ὁρμῆς ad agendum incitantur, crebro feliciter rem gerant. Horum autem nihil ad generalem voluntatis motionem accōmodari potest. Itaque planè existimo, quicquid alibi dicat Aristoteles, hoc loco specialem prouidentiam ab eo agnosci. Sed nunc dimisso Aristotele ad historias veniamus.

Ex historijs idem liquere.

CAPVT VII.

FORTVItum id solemus appellare, quod inexpectatò & improuisò hominibus prosperè cadit, ac fortunatos, qui etiam quæ temerè & inconsultò aggressi sunt, felici exitu terminare solent: infortunatos verò, qui post quantamcunque industriam à se adhibitam, nihil tamen ex animi sententia perficere possunt. Porrò quæ-

ſitum fuit à multis, num vlla certa cauſa exiſtat, quæ hunc fortunatum, illum infortunatum efficiat, an verò nulla certa regula fortunæ munera diſpenſentur. Ac primum ipſum nomen fortunæ efflagitare videtur, vt ſine ratione ac certa cauſa vnus οὐριοδρομεῖν, alter aduerſo amne & vento nauigare videatur. Contra tamen, quiſquis reuoluit caſus magnorum virorum, & repentinas quorundam exaltationes & inopinatas viciſsim deiectiones, ortus quoque & occaſus imperiorum conſiderat, cogitur confiteri id, quod vulgus fortuitum appellat, ab occultæ alicuius cauſæ deſtinatione, non rarò euenire. Iulius Cæſar ſumma temeritate res maximas aggreſſus, ſemper felicem ſucceſſum habuit. Vnde factum eſt, vt opinione de perpetua Cæſaris felicitate in omnium animis oborta, nihil deinceps fruſtra ab illo tentatum iri crederetur. Quòd cum ipſe haud ignoraret, exiſtimauit ſe nauclero, qui ipſum periculoſiſsimo anni tempore Brunduſium è Macedonia vecturus erat, ob fluctuum vehementiam attonito, nulla re magis animum additurum, quàm ſi ſe fortunatum illum Cæſarem eſſe aperiret. Ignoto enim habitu, & clam hoſtibus Brunduſium petere ſtatuerat. Notum eſt illud veni vidi vici. Notum quòd cum in traiectione Helleſpôti

parua

parua ſcapha vectus, à Caſsio facilè opprimi poſſet, ſolo nominis ſui terrore hoſtem multis nauibus inſtructum in fugam verterit. Notum quòd Labienus, qui ſub Cæſarem in Gallijs ſtrenui ducis officio functus erat, poſtquam ad Pompeiũ defeciſſet, ſemper infeliciter pugnârit. Nec minus admirandis ſucceſsibus Alexander Magnus vſus fuiſſe refertur. Nam cum in pugna ad Granicum Roſaces Perſa letiferum illi ictum altiſsimè ſublato enſe intentaret, in ipſo feriendi conatu à Clito Macedone exceptus obtruncatur. Cumque Memnon Rhodius regis Perſarum ſtipendiarius, aliquot inſulas ab Alexandro occupatas ad Darij imperium retraxiſſet, & in eo res eſſet, vt is, qui alieno imperio inhiabat, de ipſa Macedonia periclitaretur, ecce inopinato Memnon à rebus gerendis morbo auocatus, nec ita multò poſt mortuus fuit. Ac neſcio, quæ Nemeſis ita omni iudicio Perſas orbabat, vt clauſtra Ciliciæ anguſta, cum id nullo negotio facere potuiſſent, non tuerẽtur, ac tali in loco cum Alexandro confligerent, vbi propter anguſtias multitudo, qua longè ſuperiores erant, nulli ipſis vſui eſſet. Vidit noſtra ætas Carolum quintum cum veteribus monarchis rara quadam felicitate comparandum, vt eo nomine etiam Turcis ipſis formidabilis fuiſſe

isse dicatur. Pleraque is bella alieno ductu absens confecit, ac propterea nonnulli forte suspicabuntur, virtuti militum eius tribuendas esse victorias, quæ ipsi obtigerunt. Verum hanc suspicionem diluit, quòd eosdem milites, qui sub Carolo stipendia merentes inuictos se præstiterant, scribat Iouius à rege Galliæ postea conductos, vna cum principe etiam fortunam mutâsse. Rursum alij in historia tam cæci & amentes proponuntur, vt manifestè appareat eos fatalibus quibusdam causis in interitum trahi. Quot indicijs fuit Dario Besi perfidia patefacta, quot modis, vt sibi ab illo caueret, admonitus est? Sed omnia frustra. Itaque Curtius, postquam Darij tantam ἀναισθησίαν narrâsset, subiungit se credere, æterna constitutione, nexuque causarum quemque suum ordinem immutabili lege transcurrere.

Rursum tanta Candaulæ dementia fuit, vt non ante conquiescere potuerit, quàm vxorem suam nudam famulo suo Gygi reluctanti, & multis rationibus hoc dissuadẽti ostendisset. Quæ res Herodotum commouit, vt cum tantam ipsius ἀβουλίαν commemoraturus esset, præfatus fuerit χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς. Preterea tot in historijs occurrũt exempla eorum, qui repente vsq; ad cœlos elati, subito rursum ad ima præ-
cipi-

cipites deciderunt, vt inde nata sit opinio inter homines, nimiam prosperitatem esse ruinæ prænunciam. Quocirca veteres, si quando inusitato aliquo successu vterentur, sollicitudo eorum animos subibat, num fortè inflexu eorum res essent. Theramenes, cum domus è qua prodierat, post eius egressum corruisset, alijs ei de tanta felicitate gratulantibus, ipse aiebat, ὦ ζεῦ ἐς τίνα με καιρὸν φυλάττεις, id est, ô Iupiter, in quod me tempus reseruas. Nec multò post à triginta tyrannis cicutam bibere coactus est. Polycrates Sami tyrannus, cùm diuturna felicitate vsus, aliquid mali sibi per illam protendi cõijceret, annulum suũ in mare abiecit, sperans eo modo se imminenti incommodo posse defungi. Sed eundem annulum coquus eius in pisce, quem in foro emerat inuẽtum, domino suo restituit. Scilicet grauior casus Polycratem manebat, vt euentus postea declarauit. Nam ab Oronte Darij præfecto, in excelsissimo Mycales montis vertice cruci affixus est. Hanc historiam apud Valerium libro 6. inuenturus es. Cùm Philippo Macedoniæ regi, vno atque eodem die multa læta nunciarentur, ô fortuna, inquit, exiguum aliquod malum, his tot bonis oppone, non dubitans, quin post tantam prosperitatem aliquid aduersi consecuturum esset. Auctor

Aelianus libro 9.

Plu-

Plutarchus in apophtegmatibus. Omnium verò clarissimè ex imperiorum ortu & occasu perspicitur, minimè fortuita esse, quæ fortunę tribui solent, sed excelsum in regno hominum dominari, & cuicunque voluerit dare illud. Nam vt de Assyriorum monarchia taceam, eò quod pauca de eius exortu scribantur, Cyrus quem primum monarcham celebrant historiæ, breuissimo tempore sibi totum orientem subiecit, nequicquam conspirantibus contra eum potentissimis Babylonis & Lydiæ regibus. At vicissim quãta celeritate idem imperium in suis primordijs caput extulerat, tanta per Macedonas depssum fuit. Nam hi vno ꝑpetuò victoriæ cursu, primum occupata minori Asia, deinde Palęstina, Syria, & Aegypto in potestatem redactis, ad postremum ipsa regia persarum debellata, nullum vestigium Persici imperij reliquere. Post hos Romani, licet nõ tam breui tempore maximum illud ab omni hominum memoria imperium fundârint, multi tamen admirandi eorum successus indicant, ipsos non fortunę temeritate, sed occultioribus causis adiutos, illud sibi peperisse. Primum consideratione dignum est, quod cum multi essent, qui Romanorum incremento inuidebant, nunquam tamen ijs in mentem venerit, vt illos
iunctis

junctis viribus oppugnarent. Bello Macedonico quieuit Antiochus, qui si vires cum Philippo coniunxisset, in grauè discrimen, res Romana adducta fuisset. Antiocho confecto Mithridates se contra Romanos extulit, Tigrane spectante & exitum rei præstolante, quasi fatale esset Romanis, cum vno tantum rege decertare. Adde huc tot mirabiles victorias de hostibus partas, cū nec numero nec viribus cum ijs conferri possent.

Lucullus cum exercitu 10. milium hominum contra Tigranem, qui innumerabili multitudine pugnatorum formidabilis erat, occurrere ausus fuit. Quem cum tam angustè metatum ex edito loco Tigranes conspexisset, si, inquit, legationem obituri veniunt hi Romani, iusto maior est eorum numerus: si verò acie decertari, nimis exiguus: addens tam paucos non suffecturos canibus, quos in castris habebat. Sed paulò post, cum paucos illos leonina audacia in se infestos tendere vidit, adeò ipse cum toto exercitu suo perculsus est, vt vultum Lucullianorum intueri vix sustinuerit. Atque hanc tam memorabilem victoriam Antiochus Philosophus in libro de dijs immortalibus, haud dubium, quin vt Dei prouidentiam ex illa stabiliret, auctore Plutarcho retulit. Scio nonnullos dicturos Romanorum virtuti & In vita Luculli.

hostium

hostium ignauiæ tales victorias imputandas esse, verum hos rogare velim, quæ Romanorum virtus & Carthaginensiũ ignauia Rempub. seruauit, cum toto robore militũ interfecto, Hannibal nullo negotio ipsum caput imperij occupare potuisset? Quis, quando exercitum vrbi admouens, etsi nocte cum tribus satellitibus, quid in vrbe gereretur speculatus, animaduertisset nullum exercitum ad vrbis defensionem præsto esse, omniaque tumultu & pauore plena, non aliter tamẽ, quàm si non Hannibal, sed alius quispiam nullius pretij dux fuisset, nullo memorabili edito facinore discessit? Sed frustra ego, quoties occulto quodam fato Roma seruata sit ostendere conor, cum proprio libello hoc argumentum Plutarchus tractârit. Illud ex posterioribus historiæ Romanæ scriptoribus admonuisse satius erit, quanta felicitate hoc imperium primò creuit, tanta infelicitate post expletã fatalem periodum denuo pessum iuisse. Vt enim antea non nisi vicissim ab hostibus suis Romani oppugnabãtur, sic ecõtra vergẽte ad exitũ imperio, vno tempore Gothi, Franci, Sueui, Hunni, Vandali, Quadi, Burgundiones, Thuringi in prouincias Romanas tanto impetu effundebantur, vt tot simul locis defendendis nulla militum copia par esset. Huc accedebant

crebrę

crebrę ducum & præfectorum, quorum tutelę commiſſa erat Reſpub. defectiones. Etſi qua imperij columina ſupererant, hos immatura mors velut ĩnuidẽs reflorescẽti imperio de medio auferebat. Porrò quicquid de Romano imperio huc vſque diximus, id in aliorum regnorum initijs & fine accidiſſe ex hiſtorijs liquet. Quàm breui tempore Sarraceni non modo totum orientem, ſed & Africam vniuerſam, vna cum Hiſpania vſque ad Pyrenæos alpes ſuæ ditionis fecerunt? Quàm obſcura & ignobilis Tartarorum origo? Et tamen ijdem illi repente ex paſtoribus milites facti, rege Indorũ Preſbytero Ioanne, cui antè ſeruiebant, in acie occiſo, eiũs ſubditos tributa ſibi pendere coegerunt. Hinc in varia agmina diuiſi, ex vltimo oriente vſque ad Poloniam & Hungariam ferro & cædibus graſſati ſunt. Ac tàm latè ſui nominis terrore omnia compleuerunt, vt homines aduentum eorum non auſi præſtolari, deſertis oppidis ad ſyluas & mõtes, quo ſe ab eorum violentia tuerentur, confugerent. Omitto nunc, quàm mirabili felicitate Helleſpontum tranſgreſſi Turcæ Conſtantinopolitanum imperium & vicina regna, vſq; ad Germaniam & Poloniam, deuictis tot bellicoſiſsimis gentibus, occupârint. Non commemoro, quod Aeneas Syl-

De Aëtio hæc intelligenda.

Sarraceni.

Tartari.

Matthęus michou.

Turcæ.

uius ſcribit, viginti annorum ſpatio, pluſquam centum vrbes chriſtianas Turcarum imperio ſubiectas eſſe. Taceo Selymum Amurathis filium paucis menſibus Mammeluchorum potentiſsimam tyrannidem diſſoluiſſe. Verùm quid ductu regum caſtellæ & Luſitanię in vtraq; India noſtra penè memoria actum ſit, conſiderari velim. Non dubito enim, quin is, qui libera mente heroica Luſitanorum Pacieci & Albuquertij in oriente, Franciſci verò Corteſij Caſtellani in occidente perpenderit, lubenter agniturus ſit, vi maiore quàm humana Indiarum recentia imperia fundata eſſe. Quis enim credat humanis viribus fieri potuiſſe, vt Albuquertius exercitu mille & quingentorum Luſitanorum & Indorum trecentorum intra ſex horas Goam vrbem maximam, armis & tormentis, fortiumque militum præſidijs, ac hominum multitudine refertam expugnaret? Maximè cum Goenſes tanta pertinacia reſiſterent, vt in veſtigio mori maluerint, quàm vitam ab hoſte dono accipere. Quis exiſtimet Paciecum humano præſidio cum ſeptuaginta Luſitanis & mille Indis, exercitum quinquaginta & ſeptem milium hominum ſuſtinere, imò & in fugam conijcere potuiſſe? Quis arte humana factum eſſe arbitretur, vt tela innumera, eaque

Luſitani & Caſtellani.

que

que tanta vi nonnunquam contorta, vt ſcuta & moles obiectas facillimè diſsiparent, neminem Luſitanorum læſerint. Aequè etiam incredibile eſt, Corteſium ſine ſecreta occultioris cauſæ cooperatione cum pauciſſimis Hiſpanis è Temiſtitan vrbe, quæ in magno lacu inſtar Venetiarum ſita eſt, vijs omnibus ab infinita Indorum multitudine inſeſsis, per vim erumpere quiuiſſe. Patet ergo ex imperatorum mirandis ſucceſsibus, ex quorundam repentina elatione & conſequente mox depreſsione, denique ex regnorum & imperiorum minimè vulgaribus initijs & occaſibus, non eſſe fortunam bonorum & malorum hominibus diſpenſatricem, eò quod fortuita omnia incerta viciſsitudine alternent, nec diu in vnam partem ſtabiliter propendeant, homines verò & reſpublicæ humanæ ſubinde multorum annorum felicitate ſtupenda fruantur, ſubinde verò aduerſis caſibus aſsiduò vexentur. Inſuper quædam communis animi conceptio eſt, nonnullos homines fortunatos, nonnullos verò infortunatos exiſtere, non ſolum ſi præteritos eorum ſucceſſus, ſed etiam ſi futuros reſpiciamus. Itaque Cicero cum in oratione pro lege Manilia, quę in ſummo belli duce requireretur enumeraret, pręter ſcientiam rei militaris, virtutem & auctoritatem

Cicero requirit in Imperatore felicitatem.

tem, etiam felicitatem in eo considerandam esse statuit. Verùm si nulla certa sit humanę εὐτυχίας causa, sed inter prospera & aduersa semper incertus fluctuat, nunquam ex præterita fortuna sic quisquam fortunatus dici posset, vt etiam de futura eius felicitate spes conciperetur. Quibus eum in modum constitutis, inquirendum nunc porrò quid sit, quod homines fortunatos vel infortunatos efficiat, an occulta numinis prouidentia, an alia quædam naturalis causa. Ac non esse huius rei vllam naturalem causam vt ostendatur, intelligamus oportet, ad absolutam felicitatem tria requiri; primum est electio eius quod in rem futurum est, alterum dexteritas quædam & promptitudo eius, quod eligendo probatum est, in opus conferendi; tertium, non solum nullis infortunijs ex transuerso incurrentibus à scopo suo retardari, sed potius casu oblatis adiumentis ad eius consecutionem prouehi. Ac primum quidem horum non ausim inficiari, à natura cuiquam insitum esse posse. Nihil enim prohibere videtur, quominus naturalem quis facultatem adeptus sit, sine diuturna deliberatione id, quod in re qualibet optimum factu sit, peruidendi. Sed neque secundum tale est, vt causam supranaturalem desiderare videatur. Potest enim corp⁹ hominis

Ex præcedentibus infertur Deum curare res humanas.

nisi innata quadam dexteritate præditum esse, ad mentis cogitata exequenda. Videas nõ nullos ad musicam, alios ad rem militarem, alios ad fabrilem artem, alios ad alia exercenda veluti natos. De poetis vulgatissimum est, eos non tám studio fieri, quàm à natura progigni. Et D. Augustinus cum libro quarto de doctrina christiana diceret, eloquentiam aut cito disci, aut nunquam, haud obscurè indicauit, plus in ea arte discéda naturam posse, quàm studium. Siue igitur ab astris, quod Astrologi contendunt, siue à corporis temperatione, siue aliunde hæc duo suam trahant originem, id certè negandum non est, vtrunque stabiliter inhęrentem habitum posse existere. Verùm propter hæc nemo fortunatus dici debet; siquidem fortuna ijs in rebus locum habet, quæ præter opinionem & insperatò eueniunt. Ac sunt, quibus neque acumen optima consilia celerrimè excogitandi deest, neque manuum promptitudo ad ea, quæ animo conceperunt peragenda; & tamen inopinato aliquo infortunio à cursu quem tenebant, excutiuntur. Alij vicissim neque recta consilia capere valentes, neque capta in rem conferre, dum, quod ad ipsorum prudentiam attinet, in nõ dubium properant interitum, aliquo inexpectato casu interueniente, plerunque incolumes

Homines ad quasdã artes à natura facti sunt.

lumes euadunt. Hoc modo fortunati Romani, quos cum Terentij Varronis consulis inconsulta temeritas, quantum in ipso erat pessundederat, Hannibalis, victoria vti nescientis, ἀβουλία erexit. Atque hoc tertium illud erat, quod requiri dicebam, vt quispiam fortunatus habeatur. Id verò nemo sobrius existimabit eiusmodi esse, vt inter naturales dotes referri, aut ab vllo naturali agente originem sumere posit. Naturalia enim ad vnum quidpiam tendunt; at verò vt Varrone male pugnante Hannibal nesciat vti victoria, duo sunt euẽta diuersa, nullam connexionem, aut vnitatem inter se habentia; quare vni causæ naturaliter agenti, vtrũque acceptum referri non debet. Verùm si non vnum alterius σύμπτωμα existit, ab intelligente natura inter se coniuncta sunt. Id quod & Hannibal ipse alioquin homo, cum in militia magis, quàm Philosophia detritus, non ignorauit. Cùm enim posteà vrbi exercitum admoueret, & Romani cum ipso pugnam inire non defugerent, ac bis à conferendis manibus pluuia ingruente prohibiti essent, fassus est diuinum numen, ROMANIS propitium esse. Quocirca abducto ab vrbe exercitu questus est Romæ capiendæ aliquando sibi voluntatem deesse, aliquando facultatem. Ac vulgus ethnico-

rum quando fortunam pro Dea colebat, ac bonorum & malorum promam condam arbitrabatur, nihil aliud profectò volebat, quàm Dei nutu fieri, vt homines vel fortunati sint, vel infortunati. Animaduerto etiam Demosthenem in oratione pro Ctesiphonte, cũ ait sibi nõ idcirco esse calamitates Græciæ imputãdas, quòd bellum, cuius ipse suasor & instigator fuerat, infelicem exitum habuisset, nunc quidem dicere boni ciuis esse optimis consilijs rempub. iuuare, euentum verò in fortunæ potestate relinquere, alias verò idem repetere pro fortuna DEI nomen substituendo. τὸ πέρας, φησὶ, ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῇ πάντων οὕτω γίνεται. Id est, cuiusque rei talis exitus, qualem DEVS vult. Et paulò post. οὐ τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ᾽ ἐκείνη ἁπάντων, id est, non erat respub. fortunæ domina, sed illa omnium. Vnde intelligitur, cunctos mortales tacito quodam naturæ instinctu impelli, ad credendum fortuitos euentus à Deo temperari, vsque adeò vt & Plinius diuinæ prouidentiæ irrisor, commotus rerum illarum præstantia & vtilitate, quæ casu ab hominibus inuentæ videntur; casum & DEVM pro ijsdem acceperit. Atque hoc aliud argumentum est, quo & ipse clarissimè conuinci existimo, hominis menti aliquando salutares impetus

Demosthenes pro eodem accipit Deum & fortunam.

à DEO immitti. cuius explicationem melius erit in sequens caput reijcere.

Idem ex rerum ad vitam vtilium inuentione demonstrari,

CAPVT VIII.


T planum fiat, nō omnia, quæ ad vitæ ornamentum ac tutelam pertinent, sine Deo monstratore ab hominibus inueniri potuisse, pauca quædam ex multis admirabilium inuentorum exempla hoc loco proponam. Primum in agriculturę disciplina, quis credat sterilitatis agrorum medicationes, & quicquid in hortorum & arborum cura rusticana obseruat industria, solius ingenij humani, eiusque agrestis & inculti inuenta esse? Ipsa illa, quæ vsu quotidiano cunctis notissima sunt, caseus, cereuisia, & sal factitium, tali modo conficiuntur, qui nisi Deo suggerente nemini in mentem venire potuisse videatur. Quis enim per se cogitasset, hordeum, vnde ceruisia coquenda est, primū aquis macerari debere, ac deinde postquam siccatum fuerit, molæ tradi. Quis peruidisset lupulum tam esse accommodatum ceruisiæ condimentum? Ac talium exemplorum tam plena est hominum vita, vt in singulis ferè artificum officinis aliquod soler-

Ceruisia.

ſolertię humanæ pluſquam inuentũ occurrat. Apud coriarios videre eſt, querno cortice minutatim confracto, & commolito conditum corium tale fieri, vt neque ſiccitate dureſcat, neque humore laxetur. Apud figulos ollæ fictiles primùm argilloſa aqua madefactæ, deinde plũbo in puluerẽ cõminuto cõſpergũtur, vnde fit, vt quãdo in fornace coquũtur, liquefacto illo puluere, cruſta quadam leni & nitida integantur, quæ non ſolum decus & venuſtatem illis concilieț, verùm & liquorum, quibus imbuũtur, minus bibulas præſtet. Apud lignarios fabros inuenitur genus quoddam bituminis, ex ea materia confectum, quam coriarij à pellibus abradunt; tantæ in conglutinando potentiæ, vt quæ trabalibus clauis ſibi mutuo affiguntur, non firmius cohæreant, quàm quæ illo glutine coniunguntur. Apud nautas ſpectabilis eſt acus ferrea, ex attritu ad magnetem hanc vim adepta, vt quando ſuper alterius ferramenti acumine libratur, vna ſui extremitate (illa nimirum, quæ magnetem attigit) ſeptentrionem reſpiciat, altera meridiem. Cuius rei inuentio tam præclara eſt, vt nunquam ſatis pro dignitate laudari poſsit. Huius enim præſidio nouus orbis ab Hiſpanis detectus. Huius beneficio tam cõmodè nunc cœlo nubilo & denſiſsi-

Corium.

Ollæ fictiles.

Fabri.

Nautę.

nis noctis tenebris nauigatur, quam olim in fulgentiſsima ſiderum luce. Itaque nunc frequentiora & ſecuriora ſunt extremis Sinarum incolis, cum Europæis cõmercia, quam veterum ætate Hiſpanorum cum Britannis, qui tractu maris non ita longo ab inuicem diſiunguntur. Apud argentarios fabros cernere eſt aurum, alijs metallis admirabili arte circũnduci. Eſt autem talis. Aurum liquefactum argento viuo permiſtum illinunt rei quam inaurare volunt: hinc tantiſper illam foculo adhibent, donec argento viuo per ignem euaporante ſolum aurum relinquatur. Apud Pharmacopolas videas omnia morborum remedia, quæ ex ſinu ſuo terra profundit in ordinem digeſta, & venum expoſita eſſe. Et quod maiori dignum admiratione, animaduertere licet oportuno tempore, hoc eſt cum ipſis morbis, ea, quibus curarentur, medicamenta apparuiſſe. Cùm ante annos aliquot infamis illa Gallica lues veteribus medicis ignota primum conſpiceretur, non multò poſt in India inuentũm antidotum, quod præſentiſsima vi huius morbi depellendi præditum eſt, lignum ſcilicet Guaiacum, omnibus in pharmacopolijs noſtro tempore venale. Nunc quoniam exemplorum ſat multum recitauimus, etiam atque etiam expendi velim, num hęc & plura

hoc

hoc genus talia ſint, vt à ſolo homine citra occultam Dei opem inueniri potuerint. Et ſi quidem ſua ſolius opera tam variam rerum vtiliſsimarum ſuppellectilem in lucem protuliſſe dicatur, quæro num de induſtria quærendo eam inuenerit, an aliud agenti caſu oblata ſit. Hic quicquid reſponderis, ſemper tibi aqua hærebit. Nam ſi caſu & aliud agentibus tot morborum remedia, totque alia humanæ vitæ adiumenta innotuerunt, multò deterior eſſet hominum, quàm beſtiarum hac in parte conditio. Quicquid enim beſtijs ad vitæ ſubſidium & tutelam neceſſarium, id certa naturæ prouidentia adipiſcuntur. Norunt iam inde à primo ortu ſuorum morborum remedia, norunt quæ tanquam perniciosa declinare oporteat. Atqui, ſi tu vera dicis, homo niſi inopinato caſu diſcat, quibus remedijs labantem valetudinem confirmare, alijſque difficultatibus occurrere debeat, in maxima rerum neceſſariarum egeſtate verſabitur, nec vlli vſui erũt, quæ ipſi tam diuiti vbertate natura profundit. Quæ ſanè vt à quopiam Epicuri diſcipulo admitti æquo animo feramus, eo quod ſuis principijs conſentanea dicat, quis tamen eos, qui vnum mundi conditorem Deum, & certam cauſarum ſeriem confitentur, talia docere non indignetur? Si verò ais, homines dum

dum ad quærẽdum necessitas extimularet, singula explorantes, tandem ad id peruenisse, quod ipsis remedio futurum erat, non inficiabor equidem astu humani ingenij multa, cùm duris in rebus egestas vrgeret, excogitari potuisse, sed nonnulla hominum inuenta eiusmodi sunt, vt manifestè appareat, illa inquirendo minimè deprehensa esse. Industriæ humanę eorum inuentio tribuatur, quorum vtilitas qualicunque ratiocinatione perspici potuit, vt calida medicamenta contra morbos frigidos valere: at incredibile est, quęrentibus contra serpentum ictus remedia, sine diuino instinctu in mentem venisse, quod caro bestiæ, quæ morbum genuit, eundem depellere posit. Ac si fortè quispiam Philosophus, & arcanorum naturæ haud ignarus, pro ingenij sui præstantia tam secretas rerum vires odoratus esse concedatur, quid de mulierculis & imbecillis iudicij hominibus dicemus, qui eruditos nõ raro inueniendi felicitate excellũt; Cùm aliquando Louanij tabulatum frumentarium collegij Vigliani, in quo degens hũc librum composui, vermiculis abundaret, qui frumentum fœdè depopulabantur, muliercula quædam aquam nobis medicatam obtulit, qua si tabulatum aspergeretur, aiebat fore, vt omnis illa vermiculorum turba inde facesseret.

Vulgus felicius in inueniendo, quàm docti.

cesseret. Nec fefellit suam vatem euentus. Nam postquam illo remedio vsi essemus, deinceps ab illa vermiculorum infestatione tuti fuimus. Notatum quoque est à nonnullis, nouam illam stellam, quæ superioribus annis apparuit, pri⁹ ab indocto vulgo, quàm ab Astronomis animaduersam fuisse. Nullum igitur hic locũ habet ea suspicio, quod homines acuti talia naturæ secreta ratiocinando inuestigarint, sed fatendum, à DEO afflictis mortalium rebus consulente, illa ostensa esse. Non quòd oraculo aliquo cœlesti talium adminiculorum inuentores admonitos esse arbitrandum sit, verùm fieri potuit, vt occulto DEI afflatu excitati sint ad eius rei facultatem explorandam, quæ contra id malum, cuius quærebatur remedium profutura erat. Vel alio modo pro immensa sua sapientia DEVS efficere potuit, vt sine manifesta reuelatione huiusmodi inuentis hominum vita locupletaretur. Sed vtcunque ea res se habeat, prorsus agnoscendum est, sine DEI ope tam admirabiles quarundam rerum vsus non innotuisse, quandoquidem & Plinius, quem constat initio naturalis historiæ DEVM è mundo relegasse, cum ad hanc de rerum inuentione materiam ventum esset, nimio veritatis fulgore cęcos ipsius oculos feriente, priorem sententi-
am

am retractauit & prouidentiam Dei apertè confessus est. Verba eius in proœmio libri 27. hęc sunt. Nec dubiè superata posset videri etiam rerum naturæ ipsius munificentia, si humani operis esset herbarum inuentio. Nunc verò Deorum fuisse eam apparet, aut certè diuinam etiam cum homo inueniret, eandemque omnium parentem & genuisse hæc & ostendisse, nullo vitæ maiori miraculo, si verum fateri velimus. Et sequenti capite: Si quis illa forte ab homine excogitari potuisse credat, ingratè Deorum munera intelligit. Et initio tertij capitis: Hic ergo casus, hic est ille, qui plurima in vita inuenit DEVS. Hoc habet nomen, per quem intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra natura. Hæc Plinius. Vbi tandem ad suam priorem de natura sine Deo cuncta gignente imaginationem relabitur; sed non sine nota pertinaciæ id, quod semel effutiuerat, defendēdi. Quis enim non videat, priora eius verba, simpliciter diuinam prouidentiam sonare, posteà verò ipsum factum sui memorem, id quod prius benè dixerat peruertisse? Si enim per casum hoc intelligit, quòd vulgò solemus, quid durius cohæret, quàm hæc tria, casus, DEVS & natura; cum Dei nomine rem summa præditam sapientia intelligamus, casus autem sit res plena te-

Plinius prouidētiam Dei confitetur.

na temeritatis & insipientiæ? Nonne æquè appositè dixeris lucem esse tenebras, & nigrum album? Insuper quænam hæc quæso natura est, quæ homini ostendit, quod ipse ratiocinando excogitare non potuisset? An hominis? Atqui tunc omnibus æquè promptum esset, eiusmodi occultas rerum facultates pernoscere. Adhæc nemo in se hanc naturalem cognitionem experitur, sed quisquis tale quippiam inuenit, vel casu id factū arbitratur, vel diuina prouidentia. An alterius cuiusquam rei natura. Sed nulla res prę-ter Deum & spirituales naturas Deo subiectas tam potens est, vt humanæ menti illabi, eique agenda dictare queat. Patet igitur hūc hominem, dum tantæ luci tenebras suæ impietatis admiscere voluit, inextricabilibus se laqueis implicuisse. Deinde sunt etiam exempla quædam memorię prodita, in quibus non tectè, sed palam Deus quædam morborum antidota demonstrasse refertur. Nam vt idem Plinius lib. 25. cap. 2. ait, suo tempore cuiusdam militantis in prætorio mater per quietem admonita fuit, vt radicem silueſtris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi primo aspectu in frutecto, mitteret filio bibendam. Is enim in Lacetania à rabido cane morsus erat. Casuque accidit, vt cum miles, vti fit, aquas pauere incipe-
ret

ret superueniret epistola orantis, vt pareret, religioni. Paruit, & seruatus est, ac deinceps & cæteri, qui hoc remedio vsi fuerunt. Sed quid adhæc Plinius? Scilicet ingenuè hoc inuentum non casui, sed Deo, quem hîc à casu distinguit, tribuendum esse confitetur. Nam antequam hanc historiam narrare incipiat, In repertis, inquit, herbis alias casus, alias vt verè dixerim DEVS inuenit. Quin & Hippocrates libro de somnijs testatur, sibi nonnulla remedia in somnis ab imagine quadam apparente ostensa esse, & Galenus narrat, se cum diu sollicitus fuisset, quopacto quendam ex splene laborãtem curaret, somniasse quod secaret venam, quæ est inter digitum auricularem & annularem. Quo remedio postea vsus, ægrum sanitati restituit. Nec dubito, quin omnes magni artifices, omnes magnarũ sodalitatũ institutores, quas in Christiana religione ordines appellare solemus, diuino afflatu instincti heroica sua cœpta perficere potuerint. Sed neque sectæ, & schismata tam latè breuissimo temporis spatio diffunderẽtur, nisi quibusdam malorum dæmonum furijs primi falsarum religionum satores Deo id permittente agitati, mirabili quadam verborum potentia hominum imaginationem velut excantarent. De Mahumete Arabes dicunt, tanta eum Arabicę

rabicæ linguæ facundia polluisse, vt neque angeli elegantiorem librum, quàm est eorum Alcoranus componere possent. Quid de Lutheri spiritu, quem ipse nonnullos ex suis scriptis hausisse iactabat, sentiendum sit, si Lutherani à me audire non sustinent, ex Erasmi saltem Roterodami hyperaspiste discere ne grauentur. Anabaptistæ verò Monasterienses, quomodo tam firmiter in animum inducere potuissent, vilissimum illum sartorem Ioannem Leydensem à Deo missum, vt regnum Israel instauraret, Amsterodamenses, quopacto combustis vestibus, tam fœminæ, quàm mares per plateas contra naturalem pudorem nudi discurrissent, nisi fanatico spiritu in omne nefas præcipites acti fuissent? Auctor est Gilbertus cognatus in libello de historijs tragicis, Anabaptistam quendam deserta legitima cõiuge è Saxonia aufugisse Argentinam, ibiq; aliam priore viuente duxisse. Sequentè verò vxore & maritum suum repetente, Saxoni illi à magistratu Argentinensi optionem delatam, malletne vxorem pristinam pro coniuge agnoscere, an tanquam adulter in Rheno submergi; ac tum illum obstinato animo renuisse priorem coniugem, & mori satius duxisse, quàm cum illa in gratiam redire. Anne verò credibile est hominem il-

Nicolaus de cusa in cribratione Alcorani.

lum tam væsanam pertinaciam induere potuisse, nisi à cacodæmone instigatus fuisset? Minimè verò. Ac tam latè patet hęc specialis humanarum cogitationum prouidentia, vt ex priuata sua vita quisque eius exempla proferre posit; vsq; adeò, vt neque mihi futura essent luculéta singularis erga me Dei curæ testimonia, nisi vererer, ne eorum cõmemoratio quibusdam ambitione haud carere videretur. Itaque illis, quæ mihi acciderunt omissis, ex Posidonio de vita Augustini insigne documétum specialis erga priuatum hominem prouidétiæ recitabo. Verba Posidonij hæc sunt. Scio, inquit, non solum ipse Posidonius pręsul, qui hanc vitam conscripsi, verumetiam alij fratres & conserui, qui nobiscum tunc intra Ecclesiam Hipponensem, cum eodem sancto viro viuebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Aduertistis hodie in Ecclesia meum sermonem, eiusque initium & finem contra meam consuetudinem processisse; quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim. Cui respondimus: ita nos in tempore miratos fuisse scimus, & cognoscimus. At ille: credo, ait, quòd fortè aliquem errantem in populo, dominus per nostrum errorem, & obliuionem curari, & doce-

Exemplũ declarans, quod concionatoris lingua à Deo regatur.

& doceri voluerit, in cuius manu sunt & nos,& sermones nostri. Et post hæc, nisi fallor, ecce alia die, vel post biduum venit quidam Firmus nomine negociator, & intra monasterium sedente sancto Augustino coram nobis, ad pedes eius genibus prouolutus sese iactauit, lacrumas fundens & rogans, vt pro eius delictis sacerdos cum suis dominum deprecaretur, confitens, quod Manichæorum sectam secutus fuisset, & in ea, quam plurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis quos dicunt electos in cassum erogâsset: ac se in Ecclesia per Dei misericordiam fuisse eius tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum. Quòd & ipse venerabilis Augustinus, & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex quâ re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisq; omnibus sermonis seriem cognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificauimus sanctum eius nomen, & benediximus, qui cum voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit; & per scientes, & per nescientes animarnm operatur salutem. Hactenus Possidonius; cuius etiam verbis huic capiti ac insuper toti libro præsenti finem imponimus.

DE PROVIDENTIA DEI

LIBER QVINTVS.

PRÆFATIO.

IN fine præcedentis libri historica documenta adhibuimus; quibus cum & in sequenti libro vsuri simus, perperam à nobis factum esse, videri posset, quòd non omnia id genus argumenta in vnum volumen coniecerimus. Itaque ne quis ἀμεθοδίας temere nos insimulet, consilij nostri in hac similium argumentorum ab inuicem diuulsione, eam rationem afferimus, quòd historiæ, quibus humanas voluntates diuino nutu gubernari ostenditur, cum ea disputatione cohæreant, qua idem paulò ante philosophicis rationibus demonstratum fuit, vt necesse fuerit vel omnia, quæ sequentur experimenta historica præcedenti libro complecti, id quòd salua librorum inter se proportione fieri non posset. Vel si alicubi hanc separationem facere necesse sit, nusquam perinde cõmodè atque hoc loco fieri posse videbatur. Hæc lectorē admonuisse contēti, ad sequētia pergemus.

Deum

Deum sæpè vindicando impiorum scelera suæ prouidentiæ significationem dedisse.

CAPVT PRIMVM.



HOC argumentum quia latissimè patet, nec vnius hominis diligentia ad omnia hoc genus exempla colligenda sufficeret; rationem duntaxat hoc loco traditurus sum, qua illud in infinitum locupletari posset, pauculis exemplis, quæ ingenij & memoriæ nostræ mediocritas suppeditare quiuit adiectis, vt secundum præscriptam à nobis methodum, alij in historiarum lectione magis versati & ætate prouectiores, aut etiam plures regiones peruagati, cætera quæ ipsi vel legerint, vel viderint, vel audierint, sibi ipsis subijciãt. Primò igitur loco collocanda erunt exempla eorum, qui postquam vitam multis sceleribus infamem duxissent, infelicem exitum sortiti sunt, non dissimulantibus illud historiarum scriptoribus. Tale est quod Pompeio vsuuenisse, notauit Orosius. Hic enim cum antea semper euẽtu prospero bella gessisset, posteaquam in Hierosolymitani templi adytum nefaria curiositate irrupisset, aleam belli aduersam expertus est. Nec absimile est quòd Plutarchus in Vitellio refert,

Exempla primi generis.

Pompeius

Dux partium Vitellianarum.

Veſpaſiani ſtirpem malè perijſſe, quia is Vitellianum quendam ducem, qui multos annos in antro ſubterraneo delituerat, proditum interfecit, quamuis vxor eiuſdem appoſitis ad genua Veſpaſiani liberis, quos in latebra viro genuerat, tanta affectus vehementia pro marito ſupplicaret, vt ipſi etiam Veſpaſiano lacrumas excuteret. Eodem pertinet, quòd auctor ſupplementi Chronicorum Burgundiæ ducem Carolum audacem vna cum ſtirpe interiiſſe obſeruat, quia ſæuus extiterat, & crudeliter victorias exercuerat. Quòd item PAVLVS Iouius Alexandrum Medicem Florentiæ ducem idcircò miſerabiliter à cognato ſuo Laurentio in ſomnis interfectum eſſe ait, quia pro nihilo ducebat virgines ſacras nefario concubitu polluere. Eiuſdem farinæ eſt illa poetæ obſeruatio, quòd

Ad generũ Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendant reges, & ſicca morte tyranni.

Sed quia non rarò impij poſtquam longa felicitate floruerint, morte naturali defungũtur, prouidentiæ hoſtes totidem contraria exempla opponentes, dicerent non eos diuinitus propter ſua ſcelera violenta morte abſumptos fuiſſe, ſed homines à quibus interfecti vel depreſsi ſunt, priuatis odijs ad oppugnationem & cædem eorum pertractos

tractos esse; quòd autem felicem successum habuerint consilia de ipsorum internecione suscepta, partim hostium prudentiæ & robori, partim fortunæ tribuendum esse Itaq; vt fortius diuinæ prouidentiæ hostes vrgeamus, secũdo loco exempla colligenda, quibus non simpliciter solum impius quispiam malè perijsse narratur, verùm adduntur etiam nonnulla indicia, è quibus colligatur iustam illi talionem à DEO, repensam fuisse.

Exempla quę paulò magis illustrant Dei prouidentiam.

Quo in genere primum occurrit, quod de Theramene Atheniensi memoriæ proditum est. Hunc videlicet, cum cicutam nihil commeritus bibere cogeretur aduersario, & pręcipuo suę necis auctori Critię pulchro illud propinasse. Nec effectu caruisse illam imprecationem: Nam haud ita multò pòst & Critias interfectum esse. Hic mors, quàm Theramenes inimico suo imprecatus erat, tã breui secuta, argumento est, Deum voluisse insontis Theramenis necem vlcisci. Auctor huius historiæ Valerius lib. 3. cap. 2. & Xenophon rerum Græcarum lib. 2.

Theramenes.

Plutarchus in libello de sera numinis vindicta scribit legatos ciuitatis Spartanæ, cum Leuctris Bœotiæ apud quendam Scedasum hospitarentur, filias eius virgines primum stuprasse, ac deinde interfectas in puteum deiecisse. Patre verò Scedaso de tam atroci iniuria apud

Spartani.

Ephoros querente, non fuisse auditam eius querimoniam, itaque cum aliter se vlcisci non posset, diras reipub. Spartanę imprecatũ esse. Post multos demum annos Cleombrotum regem Spartę, eodem loco, quo illud facinus designatum erat, cum Thebanis paucissimis acie decertantem cecidisse, ac tanta clade affectos Lacedęmonios, vt ex illo nunquam vires recuperare potuerint. Iosephus de Aristobolo hyrcani filio fratricida eiusmodi historiam narrat. Aristobolus post matrem fame enectam, fratres in vincula coniectos, Antigonum ex omnibus vnum charum habebat. Cùm verò & hunc à calumniatoribus instigatus interfecisset, paulò pòst corruptis visceribus sanguinem vomere cœpit. Quadam igitur vice contigit, vt dum quidam ministrorum sanguinem, qui vomitu redditus erat, pelui exceptum forras efferret, eodem in loco, vbi ANTIGONVS cæsus erat, extantibus adhuc cædis eius maculis, cum pelui laberetur. Quod cum domestici viderent, ploratum tam ingentem ediderunt, vt ab Aristobolo intus audiri possent. Tum ille sciscitatus est, quid sibi clamor ille voluisset. Famuli & domestici, quãquam libenter id, quod actum erat mussitassent, vrgente tamen domino, rem omnem aperiunt. Tunc Aristobolus intelligens

Aristobolus.

ligens diuino nutu effectum, vt quo loco fratris sanguinem fuderat, ibidem & sanguis eius effunderetur, in hæc verba prorupit: οὐκ ἄρα λήσειν ἔμελλον τὸν θεὸν ἐπ' ἀσεβέσιν οὕτω τολμήμασι, id est, non ergo DEVM latitura erant, tam impia mea facinora. Suetonius auctor est omnes Iulij Cæsaris interfectores malè perijsse, imò nonnullos eodem pugione, quo illum necauerant sibi ipsis mortem consciuisse. Adrianus Imperator Xiphilino & Zonara testibus, Seuerianum quendam occidit, nullius criminis obtentu, sed quia ægrè tulerat Lucium Commodum ab ipso Cæsarem creatum esse. Hic antequam moreretur ignem postulauit, & suffitum faciés, vos, inquit, dij scitis me nihil commeritum. Precor autem, vt Adrianus optet mori, nec posit. Hanc imprecationem nō multò pòst Adriani grauissimus morbus secutus, in quo tantis doloribus conflictatus fuit, vt non solum extingui optaret, verùm etiam seipsum interficere vellet. Clearchi primi Heracliensium tyranni fratrem Satyrum ait Memnon historicus tam horribili morbo interijsse, vt cunctis appareret ipsum suæ crudelitatis pœnas dare. Nam carcinoma in iguine ipsius suppullulârat, sanie intolerabilis fœtoris vbertim manans; vt neque ministri, neque medici putredinis graueolentiam ferre possent.

Adrianus Imperator.

Satyrus Heracleæ ponti tyrannis.

poſſent. Non diſsimili mortis genere Herodes magnus alter Phalaris, ſi Ioſepho credimus, interijt. LEO Imperator Conſtantini Copronymi filius, cum auream coronam, quam Mauritius in Eccleſia ſanctæ ſophiæ Deo ſacrauerat, inde ablatam ſuo capiti imponeret, mox in febrem letiferam incidit. Atque vt conſtaret mortem illam non fuiſſe naturalem, ſed vltione cœleſti inflictam, ſimul etiam vlcus in eius corpore erupit, cui carbũculo nomen erat, quo nomine & gemmæ, quibus diadema illud inſignitum erat, appellatę fuere. Huius hiſtorię auctores Zonaras & Paulus diaconus. Sed quoniam omnia id genus exempla hoc libro recenſere longum eſſet; tertio loco nunc aliquot ſceleratorum punitiones ſine dubio miraculoſas proferemus. Quæ, quo facilius memoriæ mandari poſsint, in ordinem præceptorum decalogi ſic digeremus, vt vnicuique præcepto quædam vltionis diuinę experimenta adiungantur.

Exempla manifeſtæ vltionis diuinæ ſecundum ordinem decalogi digeſta.

CAPVT II.

Exempla ad primũ præceptũ pertinẽtia.

PRImum qui turrim Babel, velut propugnaculum contra Dei omnipotentiam ædificare conati ſunt, linguarum confuſione

sione puniti fuerunt. Dicet fortè quispiam, id Christianorum literis contineri, quibus ij cótra quos hęc suscepta disputatio, fidem habere nolunt. Sed huic respondemus non velle nos cuiquam infideli in hac disputatione ex auctoritate nostrarum literarũ tanquam diuina pręscribere, verum flagitamus dũtaxat, vt hæ saltem eo loco habeãtur, quo cęterę humanę historię. Id quòd facilè ab ijs obtinebimus, qui animum non prorsus odio cęcum ad earum lectionem afferunt, quique sciunt, nullas his antiquiores vsquam terrarum literas extare, easque summa cura & religione semper à Iudæis seruatas, & tandem iussu Ptolomæi Philadelphi in Græcum conuersas, ac in eius bibliotheca pro magno thesauro repositas esse. Atque hæc dico perinde ac si neque ethnicorum monumentis hæc linguarum confusio prodita esset; cùm longè secus res habeat. Nam Alexander polyhistor à Cyrillo libro I. contra Iulianum citatus, ait idem à Sibylla quoque traditum fuisse. Verba Sibyllę ab ipso citata hæc sunt; Cùm omnes mortales vna lingua vterentur, quidam ex his altissimam turrim ædificarunt, cœlum per eam scandere cupientes. Dij verò turbines mittentes euertêre turrim, & diuersam vnicuique tribuêre linguam. Hactenus Sibylla. Ob contemptum diuinum imperium

Turris Babel.

Ethnici non possunt eam fidem scripturæ denegare, quàm alijs tribuũt historias.

vxor Loth perium, vxor LOTH in ſtatuam ſalis verſa eſt, quam non ſolum Ioſephus, ſed & alij plurimi ſui interitus loco ſe defixam vidiſſe teſtantur. Et nominatim Beniamin Iudæus cuius itinerarium nuper ex Hebraico conuerſum Arias Montanus euulgauit, ante 400. annos ſe huius miraculi αὐτόπτην fuiſſe dicit, addens quod licet ab ouibus lambendo diminuatur, ſemper tamen ad priſtinam increſcat molem. Rurſum circa annum humanæ ſalutis 1525. Bartholomæus Saligniacus Gallus, in ſuæ peregrinationis hiſtoria, eam ſe vidiſſe aſſeuerat.

Herodes. Herodes Iacobi occiſor, cum ſibi à populo acclamari pateretur, DEI voces & non hominis, nec tam ſacrilegam & ſummæ maieſtati iniuriam adulationem reprimeret, paulò poſt bubonem mali imminentis nuntium ſupra caput ſuum intuitus eſt, ac ſtatim cordis dolore cruciari cœpit, ventris item morbo tentari. Quibus malis preſſus ipſe non diſsimulauit ſe pœnas dare ſuperbiæ ſuę. Nam populum his verbis allocutus eſt. En ego veſter Deus vitæ finem impono. Deinde in regiam delatus quinque ſolum diebus, idque in maximis cruciatibus ſuperuixit. Hæc Ioſephus ab Euſebio citatus, & Lucas in actis Apoſtolorum, qui etiam addit fuiſſe eum à vermibus conſumptum.

2. pręcepti exempla. Periurij autem reos, quod crimen ſecund

cundo decalogi præcepto prohibetur, aliquando πάῤ αὐλὰ, quod dici solet suum scelus luisse, æquè mirabilibus exemplis doceri potest. Nam in veteri testamento legitur fames in Iudæa exorta, quòd Saul Gabaonitarum nonnullos, contra vetera gentis Iudaicæ pacta cum illis inita & iureiurando firmata, necasset. Nec ante hæc plaga irati numinis cessauit, quam septem Saulis filij auctore facinoris iamdiu mortuo, suspendio vitam finirent. Rursum, apud Ezechielem 17. capite Zedechias in Babylonem adducendus, ibique moriturus prædicitur, quòd iuramentum, quo regi Babylonis obstrictus erat, violasset. Quam prædictionem, cum postea euentum sortitam esse ex Hieremiæ 51. capite intelligi posſit, neque infidelibus dubium esse queat, hanc calamitatem Zedechiæ diuinitus accidisse. D. Augustinus epistola 137. ait nosse se Mediolani apud memorias martyrum vbi terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurãdo deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.

Quin & tertij præcepti, quo dies festi sanctificari, & sacræ res omnes religiosè coli iubentur, violatores, sæpiſsimè in hac vita pœnas dederunt. Idque licet multis scripturarum te- 3. præcepti exempla.

rum te-

rum testimonijs confirmari posset, illis tamen quoniam ad manum sunt prætermissis, solum si quid tale humana historia suppeditare potest, in medium afferemus. Primum Victor libro 1. de persecutione Vandalica Proculum quendam in rabiem versum frustillatim sibi linguam comedisse ait, quia de pallis altaris sibi camisias & fœmoralia fecisset. Gregorius Turonensis libro de gloria plurimorum confessorum cap. 63. testis est, quosdam in alpibus disrupta sub pedibus terra viuos ac horrendum in modum vociferantes in tartarũ descendisse, eo quòd calicem aureum à Leone Imperatore Ecclesiæ Lugdunensi dono missum adulterare, auri parte detracta, & argento in eius locum substituto, conarétur. Vincentius Belluacésis in speculo historiali, Albertus Krantzius libro 4. de Saxon. cap. 34. alijque plures referunt Imperatore Henrico 2. in Colbeke villa Halberstadensi, viros & fœminas in cemiterio S. Magni saltasse, & choreas duxisse, nec à sacerdote, qui in templo sacrificabat, vt modestius se gererent admonitos, desistere voluisse: illumque tanta pertinacia irritatum dira imprecatione effecisse, vt per integrum annum sine cibo & potu velut choream plaudentes circuirent. De parentum honore neglecto, quem quartum decalogi pręceptum

Miranda historia.

4. pręcepti exempla.

ceptum requirit, perquam memorabile eſt, quod Diuus Auguſtinus libr. 22. de ciuitate DEI cap. 8. narrat. Eſt autem huiuſmodi. Cęſareę Cappadocię mulier quædam vidua à decem ſuis filijs iniuria affecta, vt ſe vlciſceretur, eoſdem diris deuouit. Nec irritum fuit hoc votum maternum: nam ex illo tempore membra eorum inuſitato tremore cõcuti cœpere. Hi ſuorum ciuium cõſpectum in tam fœda ſpecie reueriti, alius aliò dilapſi per orbem vagabantur; Ac duos ex illis Hipponem delatos, & ſupplicia ſua non tam lingua, quàm ipſa rerum euidentia euulgantes, eoſdemque paulò poſt, ſanitate ad memoriam S. Stephani Martyris reſtitutos D. Auguſtinus vidit. Apud Ethnicos Plato 11. lib. de legibus multis exemplis declarat; parentum execrationes pertimeſcendas eſſe. οἰδίπους φησὶν, ἀτιμασθεὶς ἐπεύξατο τοῖς αὐτοῦ τέκνοις ἃ δὴ καὶ πᾶς ὑμνεῖ τελέα καὶ ἐπήκοα γενέσθαι παρὰ θεῶν. ἀμύντορά τε φοίνικι τῷ ἑαυτοῦ παιδὶ ἐπαρᾶσθαι θυμωθέντα, καὶ ἱππολύτῳ θησέα καὶ ἑτέρους ἄλλους μυρίους μυρίοις, ὧν γέγονε σαφὲς ἐπηκόους εἶναι γονεῦσι πρὸς τέκνα θεούς. Id eſt, Oedipus contẽptus à liberis ſuis imp̃catus eſt illis, quę omnes decãtant à dijs cõpleta, & exaudita eſſe. Amyntorem quoque iratum Phœnicem filium ſuum execratum eſſe, & Theſea Hippolytum, & alios parentes innumeros filijs

ros filijs malè precatos esse constat; quorum preces contra liberos dij exaudiuerunt. Ex his verbis intelligitur, omnibus seculis parentum execrationem liberis exitialem fuisse. Sed de parentum honore hactenus. Homicidij verò diuinitus vlti primum exemplum tale esto. Hatto episcopus Moguntinus famis tempore pauperes in horreum congregatos succenso horreo combusit, nihil eos à muribus differre dictitans, quandoquidem vt illi panem comederent, ac nulli præterea vsui essent. Sed non impunè tãtam crudelitatem abstulit. Nam mures vndique confluẽtes eum tanta rabie inuaserunt, vt etiam in medio Rheno domicilium habentem, flumine traiecto aggressi sint, ac deuorârint. Monumentum huius rei perpetuum est turris illa, qua se protegere conabatur, adhuc in medio Rheno iuxta oppidũ Bingium sita, ac etiamnũ vulgo murium turris dicta. Vide hac de re Munsteri cosmographiam, quo loco Rhenẽsem tractum describit. Simili vindicta percussum Poloniæ regem Pompilium ob patruos necatos, omnes Polonicarum rerum scriptores testantur. Estque in hac narratione peculiariter notãdum, quod mures ex interfectorũ tumulis erumpentes regem adorti sint, nec ignibus circumquaque factis ab eodem infestando pro-

5 præcepti exempla.

prohiberi potuerint; vt tandem ipſe à ſuis deſertus, & diuina vltione ſe feriri confitẽs, à beſtiolis illis laniatus ſit. Milo quidam, ob Pyrrhi regis filiam interfectam, in inſaniam verſus, 12. die extinctus eſt. Iuſtinus Trogi abbreuiator lib. 28. Apud Aelianum Macareus Mitylenenſis Bacchi ſacerdos hoſpitem qui depoſitum repoſcebat, in templum ſeducens occidit, ibidemque humauit. Exactis paucis diebus patre in templo ſacrificante, filij volentes eius immolationem imitari, alter alterum mactauit. Idque cum mater reſciuiſſet, arrepto torre filium, qui adhuc reliquus erat, interfecit. His ad Macarea allatis, & ipſe iracũdia fremens, domum aduolauit, ac vxorem interemit. Propter hoc ſcelus comprehenſus, & quæſtionibus ſubiectus, quid in templo egerat, confeſſus eſt. Antequam verò publico ſupplicio afficeretur, in tormentis animam exhalauit. Huc pertinet, quod Stoicos ad ſtatuendam diuinationem crebrò cõmemoraſſe, auctor eſt Cicero libro priori de diuinatione. Duos nimirum Arcades familiares Megaram veniſſe, quorum alter ad Cauponem, alter ad hoſpitem diuerterit. His poſtquam cœnatum eſſet quieſcentibus, concubia nocte viſum eſſe ei, qui in hoſpitio erat, illum alterum orare vt ſubueniret, quòd ſibi à Cau-

Aelianus libro 13.

pone interitus pararetur. Eum primò perterritum somnio surrexisse, deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duceret, recubuisse. Tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum à caupone esse coniectum, & supra stercus iniectum, petere vt mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc verò eum somnio commotum mane bubulco ad portam præsto fuisse, quæsisse ex eo, quid esset in plaustro, illum perterritũ fugisse, mortuum erutum esse, cauponem ré patefacta, pœnas dedisse. Hic minimè dubitandum, quin illud somnium sit à Deo immissum, vt homicidij reus proderetur. Sed neque adulterij, neque aliarum nefandarum libidinum diuina castigatione punitarum exemplis deficimur. Vt enim à Sodomitis exordiamur, horum ciuitaté ob Veneris vsum, haud naturalem, cum incolis cœlesti incẽdio cõflagrasse non solum Moses scribit, verùm & vsque in hodiernum diem eius rei vestigia apparent. Nam arbores mari mortuo vicinæ fructus proferunt, qui cum foris grata specie blandiãtur, intus cinere & fauilla pleni sunt. Itaque nec Tacitus, Plinius, Solinus, quam-

6. præcepti exempla.

uis


nis Ethnici fuerint, dubitant hæc loca cœlesti igne conflagrasse. Longè ab Hierosolimis, tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur, humus nigra & in cinerem soluta. Duo ibi oppida Sodomum alterum, alterum Gomorrum, apud quę pomum gignitur, quod habeat speciem quidem maturitatis licet, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu pressa fumum exhalat, & fathiscit in vagum puluerem. Hęc ille. Heraclius Imperator ob incestas cum sua consanguinea nuptias tali vindicta percussus fuit, vt vrinâ quam reddebat in faciem eius insiliret. Itaque cum vesicam exoneraturus erat, ligneam tabulam inter exilientem vrinam & faciem eius interponi, necesse fuit Sic Mũsterus in cosmographia. Nõnulli quoque graues auctores luem illã Veneream, quæ, quia veteribus incognita erat, nouo nomine scabies Gallica vulgò dicitur, plagam Dei esse existimant. Quorum sententiam admodum probabile facit, quòd nunquam ille morbus quẽquam nisi vagæ veneri deditum, aut qui illorum contagione fœdantur, inuadat. Atqui si vllæ istius morbi in natura causæ extarent, siue eæ sint intraneæ siue extraneæ, hanc luem aliquando in alijs hominibus in-

tem. Quę mala dum prioribus pro eo, atque precati erant euenirent, tertius sibi metuens pœnitentia sui sceleris ductus est, illudque tam iugibus lacrumis defleuit, vt cæcus fieret. Atque hunc in modum & eius imprecatio euentum sortita est. Huc referri potest comitis Hollandiæ admirabilis ille partus ab omnibus historiarum scriptoribus celebratus, quo tot liberos, quot sunt in anno dies, enixa esse dicitur. Nam & illa quādam pauperculam falso in adulterij suspicionem quod tam numerosam prolem haberet vocauerat: atque ideò DEVS, vt huius innocentiam declararet, illius verò maledicentiam vlcisceretur, illam tam prodigioso partu infamem effecit. Huius rei præter tantum consensum historicorum etiam picturam in Hollandia, in quodam virginum sanctimonialium monasterio inter Leidam & Hagam comitis inueniri audio, vt de eius veritate nihil dubitari queat. Attamen Albertus Crantzius in hist. Vādalię, & annales Brūsuicēsiū ad annū 1313. idē de Margaretha comitis Holsteinij vxore commemorāt. An verò alteros fefellerint, Hollandiæ & Holsteinij comitatuū nomina primā syllabā eādē habētia, an verò duobus diuersis locis eadē res acciderit, nō laboro, dum ne historiā ipsam verissimam esse dubitemus. Reliqua

ſunt duo vltima prçcepta, quibus vt cor ſceleris purum ſit exigitur; verùm quia peccata quæ contra hæc præcepta committuntur, in animi latebris recondita manent, & proinde non poſsit eorum punitio DEI prouidentiam illuſtriorem reddere, exempla, quæ huc pertinerent, nulla potui reperire. Nunc porrò, ne quenquam moueat, tam pauca in hiſtorijs diuinæ vltionis exempla extare, quædam experimenta hoc loco admodum opportunè inſeremus, vnde planum fiat, eos, qui præſentis vitæ ſupplicia euadunt, terribilibus geennæ tormentis reſeruari.

Experimẽta aliquot pœnarum futuri ſeculi.

CAPVT III.



ETSI multa in hiſtorijs occurrãt pœnarum futuri ſeculi documenta, quia tamen non æquali omnia auctoritatis pondere confirmata ſunt, & facilime ab impijs contemni ſoleant, quæ à viris Eccleſiaſticis memoriæ prodita ſunt, idcirço pauca, eaque notiſsima hoc loco commemorabo. Primum verò illud eſto, quod Carthuſianorum ſodalitati inſtituendæ occaſionem præbuit. Hoc enim ſi contemtores iudiciorum Dei permouere non poterit, neſcio quid permouebit. Homo ille, cum ſepeliri de-

liri debebat, se iusto Dei iudicio condemnatum esse, horribili voce intonuit. Res in meridiana luce, multisque præsentibus gesta est. Ordo Chartusiensium non solum verbis eam vbique terrarum prædicat, nec tantum in suis φροντιστηρίοις fingit & pingit; verum etiam ipse instituti Carthusiensis rigor mihi istius facti memoriam renouare videtur. Nisi enim timore iudiciorum Dei nequaquam vulgari perculsi fuisset primi istius disciplinæ fundatores, quid fuit, cur se omnium huius mundi voluptatum vsu abdicarint, & ad tantum victus & vestitus asperitatem voto astrinxerint? Adde quod tam vetusta sit hæc historia, quàm ipsa Carthusiianorum religio, non igitur, si commētitia extitisset, adhuc recenti rei memoria, tam latè spargi potuisset, neque Carthusiani id, quod omnes falsum esse norant, confingere ausi fuissent. Insuper quæ causa totam illam sodalitatem impulisse fingi potest, vt per vniuersam Europam se tali origine cœpisse ex composito mentirentur? Secundum pœnarum futuri seculi experimentum est, quod Vdoni archiepiscopo Magdeburgensi accidisse refertur. Is nocte in summa æde à quodam illic pernoctante visus est diuino iudicio sisti, & propter stupra & libidines ad mortem temporalem & æternam mox inde sequuturam

Historia de Vdone archiepiscopo Magdeburgēsi.

condemnari, & post sententiam latam verè caput amittere, & ceruice abscissa informis truncus iacere, peractoque supplicio cœtus ille, à quo neci adiudicatus erat, ex oculis euanuit. Ac ne quis spectrum euanidum, cui nihil veritatis subesset hanc visionem existimaret, maculæ quædam sanguinis ineluibiles in pauimento, vbi obtruncari videbatur relictæ sunt, ipseque mane in lecto mortuus inuentus est. Cumque aliâs hæc pauimenti pars aulæo tegatur, semper in noui episcopi inauguratione retegitur, vt is tam inuisitatæ animaduersionis monumentum inspiciens, admoneatur, Dei timorem & pietatem non impunè contemni. Hanc historiam post annales Magdeburgenses & alios quamplurimos auctores nouissimè nunc etiam Magdeburgensium centuriarum rhapsodi suo testimonio cõfirmarunt, qui cum oppidi Magdeburgensis incolæ fuerint, rei huius veritatem certissimè exploratam habuisse credendi sunt. His adijciam, quod libro 6. genialium dierum cap. 21. Alexander Neapolitanus refert. In Pelignis, inquit, oppidum vetustum est, cuius nomen prætereo libens. In eo dominus, qui vrbi præerat superbè auareque ciuibus imperabat. Fortè autem quum homo quispiam bonus, sed inops, ipsius domini venaticum canem cu-

Historia de Vdone archiepiscopo Magdeburgẽsi.

Centuriæ Magdeburgenses.

ius

ſus magno deſiderio tenebatur, ita verberaſſet, vt ob id perijſſe putaretur, dominus id reſciſcens vehementer offenſus, eum in peſsimum coniecit carcerem. Ibique cum vinctus teneretur, poſt aliquot dies hi, quibus diligens eius cura mãdata erat, ad illum vt ſolebant accedentes, in eodem intus carcere nuſquam inuenēre: qui diu conquiſitus cum non appareret, rem ad dominum detulere. Quòd cum credi vix poſſet, ipſeq; mirum in modum obſtupefieret; poſt tres ferme dies, iiſdem foribus peſſulo firmatis idẽ captiuus denuò in carcere apparuit, cuſtodeſque vt cibum afferrent aduocauit. Qui cum propius acceſsiſſent, eum vultu tetro, & horribili facie, luxatiſque veſtibus conſpexere. Interrogatus verò vnde elapſus, & rurſum in carcerem intruſus fuiſſet, nihil reſpondens ad dominum admitti poſtulauit, habere ſe quod illi nunciaret, magnum nec differendum. Cumque ad eum admiſſus eſſet, ſe ab inferis remiſſum ait. Siquidem cum diutius ſqualorem carceris ferre nequiret, ſe malum dæmonem, vt è captiuitate eriperet, inuocaſſe. Nec multò pòſt dæmonem fœdo aſpectu & terribili facie in eodem intus carcere aſpexiſſe, & ſecum pactum fuiſſe, ab eodemque ferreis clauſtris non ſine graui preſſura extruſum in loca deinde inferna & pro

Stupenda hiſtoria de infernalibus ſupplicijs.

fundas vastitates ac fundum telluris intimæ actum præcipitem, singulaque lustrasse, impiorumque supplicia æternasque tenebras, & ærumnas vidisse. Ibique agnouisse quendam suum familiarem, & ab eo probè agnitum esse, ac rogatum quid rerum ageretur, & quid reliqui spei sibi foret. Cumque respondisset se crudeli dominatu premi, illum mandasse, vt domino nunciaret, caueret ne quid tale ageret in posterum; namque illi vacuam sedem, quam prope cernebat, præstitutam esse dicebat. Et vt haud dubius promissi foret, meminisse, inquit, illum debere secreti concilij & mutuæ pactionis, quam dum vna militarēt, & in castris agerent clam iniuissent, quorum nemo particeps aut conscius vnquam fuit. Quòd consilium, cum ille memoriter recitasset, & non solum conuenta, sed & singula verba, sponsionesque quibus vterque astrictus erat, recensuisset, ipsum dominum ordine hæc audiētem, mirum in modum obstupuisse, quonam modo quæ soli sibi credita, nec vlli vnquam enunciata fuerant, homo ille hebes & tardus ingenio explorata haberet. Adijciunt eundem interrogasse illum, cum quo tunc sermo erat apud inferos, qui nitido cultu vestituque apparato videbatur, num aliquo cruciatu affligerentur, qui insigni veste & auro con-

ro conſpicui forent. Illumque reſpondiſse, perenni incendio vſque torqueri, idque totum quod auro & purpura fulgeret, ignem atque incendium eſse. Et cum ipſe id experiri volens, propius manum purpurę admouiſset, admonitum ab eo fuiſse ne tangeret, & tamen efficere nequiuiſse, vt non ex caloris afflatu palmam ſibi manus, quam tunc oſtendebat, incendio & ipſi purpuræ admotam, combureret. Erat enim puſtulis liuētibus & tetris hulceribus, veluti labe & igni ſacro fere conſumpta. Referunt prætereà, qui illum adiuêre eum poſtquam ab inferis emerſit, ſemper cogitabundum in rarum prodijſse ſermonem, vixque ſæpius interrogatum, colloquenti reſpondiſse. Vultu verò tam tetro, & aſpectu tam deformi reuertiſſe, vt qui dudum à coniuge & liberis probè agnitus foret, is poſtquam remeauit ab inferis tam diro vultu eſſet, vt vix eūdem illum eſse crederent; ſæpiuſque obortis lacrumis ob ſpeciem hominis fœdiſsimè mutatam, notos affineſq; ipſum alloquutos eſse; ægrèque vt ante obitum, qui mox conſequutus eſt, res ſuas diſpenſaret, ac liberis ac poſteritati conſuleret, vitæ ſpatium habuiſse. Hæc Alexander ait, ſe tam fama celebri de illo homine, quàm multorum teſtimonio, qui rem geſtam didicere, non fictis ſermonibus,

ſed

ſed certiſsimis experimẽtis comperiſse. Deniq; eodem quo hæc ſcribebam anno Louanij Deus terribili documento quam ſint occulta eius iudicia patefecit. Erat ibi puella quædam in corporis cultu vltra modum ſuæ conditionis profuſa, vnde fiebat, vt etiam parũ pudica haberetur. Hæc poſtquam vita defuncta eſset, libitinę cadauer eius ſtramini de more impoſuerunt, atque ad pedes eius cereum conſecratum collocarunt, ac deinde in inferiorem domicilij partem deſcenderunt. Vbi dum verſantur, ſtrepitus ſupernè exaudiri cœpit, quo vna illarum excitata denuo aſcendit, quid rei ageretur exploratura. Inuenit hæc cereum extinctum eſse, & cadauer vndique flammis collucere, nec tamen ſtramina, quibus impoſitum erat comburi, cubiculum verò teterrimo fœtore repletum. Ac primum quidem ex tam horribili oſtento attonita vix apud ſe erat, tandem verò ſe colligens candelam extinctam flammæ illi, quæ cadauer allambebat, admouens reaccendit. Ea accenſa flammæ illa ſpecies euanuit. Hæc ne quiſquam pro cõmentitia fabella reijciat, ſciri velim hanc rem tota ciuitate Louanienſi tam notam eſſe, vt paroeciæ D. Petri paſtor pro concione ex tam memorabili diuinorum iudiciorũ exemplo occaſionem ſumpſerit, fœminas

Miraculũ quod Louanij contigit, anno 1579.

nin

nimio corporis ornatu deterrendi. Ego verò populi rumore non contentus ipse ex fœmina, quæ spectaculo illi interfuerat, certius omnia cognoui. Cuius auctoritas, ne cui propter sexum minus firma videretur, diuinitus prouisum fuit, vt & Medicus puellæ mortuæ eo tempore presto existens, fœminę dictis, pondus adderet.

Etiam ex premijs in hac vita quorundam pietati repensis DEI prouidentiam demonstrari.

CAPVT. IIII.

Qvemadmodum pœnis παρ᾽ αὐτὰ τὰ πράγματα inflictis nō rarò se Deus generis humani curatorē declarauit, ita & pręmijs in præsenti vita reddendis, ac votis piorum exaudiendis, idem planum fecit. Idque ex paucis ijs, quæ hic commemorabuntur exemplis, promptum erit perspicere. Omissis verò quæ dubiam habent interpretationem, illa duntaxat beneficia enumerabimus, quæ palam est non naturaliter, sed diuino munere pijs hominibus obuenisse. Primum Gregorius Nazianzenus auctor in primis grauis in oratione de laude D. Basilij, refert eiusdem diui progenitores ob metum persecutionis, quæ Diocletiano impe-

imperante Christianam Ecclesiam atrociter premebat, in vna Ponticarum siluarum delituisse, ibique septem integros annos varijs ærumnis,& præcipuè victus indigentia conflictatos. Itaque Deum rogasse, vt quemadmodum Israelitas olim in deserto cœlesti manna pauisset, itâ & ipsorum siluestrem diætam paulò lætiori pabulo commutaret. Flexum his precibus numen ingentem ferarum copiam ad ipsos adduxisse, quæ deposita feritate se illis contrectandas præberent. Idem Nazianzenus in oratione de laudibus

Gorgonia

Gorgoniæ sororis suæ, eandem euerso curru per saxa & præcipitia raptatam,& luxatis omnibus membris semianimem relictam esse narrat. Fœmineo verò pudore viros medicos admittere noluisse, sed ad solum Deum pro remedio confugisse, nec spe sua frustratam repente sine medicorum opera conualuisse, ac pristinum robur recepisse. Addit multos hoc miraculo in fide prouiden-

Theodosi9

tiæ Dei confirmatos fuisse. Theodosius senior prælium cum Eugenio Tyranno idolorum cultore initurus, noctem insomnem precum continuatione transegit. Postridie spe bona plenus arma corripuit, ac in pugnam cum exercitu descendit. Tunc repentè turbo coortus, in hostium ora ruit. Ferebãtur per aërem spicula exercitus Theodosiani, nec

ni, nec vſquam propemodum cadere, niſi impingerent, ſinebantur. Hoſtium verò tela quæ ipſi vehementer intorſerant, excepta ventis ac retrorſum acta, ipſos infeliciter cõfigebant. Nec diu impetum illum ſuſtinere potuerunt, ſed conſcientię pauore ícti, victori Theodoſio ſupplices facti ſunt. Huic rei teſtimonium perhibet Paganus, peruicaciſſimus Claudianus poeta hiſce verſibus:

O nimium dilecte D E O cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Hæc Oroſius, & poſt illum D Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 26. Huc etiam referri debet inſigne illud miraculum, quod ſuo tempore Vercellæ accidiſſe, D. Hieronymus affirmat. Sic autem res geſta eſt. Vercellæ oppido Liguriæ mulierem quandam inſontem à ſuo marito adulterij accuſatam, iudex cum adoleſcente adultero quæſtionibus ſubijcit. Adoleſcens tormentis victus, crimen fatetur, muliere conſtanter id inficiante. Vterque demum capitis ſupplicio adiudicatur. Ac adoleſcenti quidem facile vno ictu caput amputatũ, muliere verò quater fruſtra percuſſa, coactus eſt carnifex manu mucronem premente gulam abſcindere. Sed neque ſic inſontis corpus violari potuit. quin potius gladius ad capulum vſque reflexus, & velut dominum ſuum intuens, con- Mulier falſo adulterij accuſata.

feſſus

fessus est, se ferire nõ posse. Apponitur deinde alius percussor, bis denuo frustra percussa, tertio vulnerata, prosternitur. Adsunt clerici, qui eam pro mortua vt sepulturæ mandent, auferunt. Inter horum manus cadauer reuixit, & Euagrio quodam intercedente mulier ab Imperatore absoluta est. Vides hic quantopere innocentes DEO curæ sint. Krantzius lib. 4. historiæ Danicæ capite 36. auctor est Suenonem episcopũ Roschildensem templum, quod prędecessor eius inchoatum reliquerat perficere voluisse, dũque in illo opere versaretur, visum illi ad structuræ commoditatem requiri, vt tumba seu loculus, in quo prædecessor eius conditus erat, alio transferretur. Id postquàm fecisset, quidam episcopali amictu æditruo in sacrario pernoctanti apparens, his eum verbis affatus est. Adito episcopum Suenonem ac dicito, nisi ipsum inculpata vita defendisset, non bene ei cessuram fuisse alieni sepulchri violationem: nunc verò ab ipso in templum, quòd extruebat, huius facti vltionem deflectendam. Disparuit spectrum, & mox templi, incolumi tamen æditruo, ruina secuta est. Aedituus mane inter murorum ruinas insperatò saluus euetus, cum id quod iussus erat Suenoni episcopo referret, vera dicere, creditus est. Gregorius magnus vir

Sueno episcopus.

non

non minori vitæ ſanctimonia, quàm doctrina; dialogorum cap. 32. memorat Afris quibusdam Epiſcopis dum eis ab Arriano rege ſilentium imponeretur, & tamen tacere nollent, ne alij Chriſtiani illorum taciturnitatem conſenſum in dogma Arrij interpretarentur, linguam radicitus abſciſſam eſſe; ſed eos ne ſic quidem à profitenda veritate prohiberi potuiſſe. Et quò certior ſit huius rei fides, ait Gregorius ſe Conſtantinopoli ſenem quendam epiſcopum conueniſſe, qui eos Conſtantinopolim profectos, ſine lingua loquentes & aperto ore clamantes audierat: Videte quod linguas non habemus, & loquimur. Eoſdem & Iuſtinianus in anthenticis de officio præfecti prętorio ſe Cóſtantinopoli vidiſſe teſtatur. Idem cófirmat Procopius rerum à Iuſtiniano geſtarum ſcriptor. Idem Marcellinus Comes Iſidorus & Beda in Chronicis narrant. Sed & Aeneas Platonicus in libro de animi immortalitate eoſdem ſe vidiſſe affirmat. Quorum teſtimonia cui non ſufficiunt, neſcio equidem, quæ alia ſufficere queant. Verùm mirabitur fortè quiſpiam, cur non tam crebrò nunc Ethnicos ſcriptores, quàm in ſuperioris argumenti tractatione allegem Sed quiſquis hoc obijcit, conſiderare debebat me nunc de præmijs virtutum agere, quæ vmbratiles

Elingues qui locuti.

Citatur à Nicephoro.

duntaxat extra Christianismum reperiuntur. Vnde autem quęso Christianorum euentus, nisi ex Christianis auctoribus repetemus. Non tamen hac in parte Ethnicis exemplis prorsus destituimur. Nam Simonides Ceus, cùm aliquando hominis cadauer in littore inuentum humasset, nocte sequenti in somnis à quodam quem ex lineamentorum similitudine indicabat esse eum quem sepeliuerat, admonitus est, ne postridie nauigaret. Huic admonitioni magno suo bono Simonides obtemperauit. Nam quotquot illo die conscenderant, naufragio perierunt. Auctor Cicero libro 1. de diuinatione. Ad hæc Aristoteles aut quisquis illius libelli de mũdo auctor est, scribit Aetnę quondam erumpente incendio & torrentis instar in terram effuso, Deum honorasse piorum genus, cum parentibus in humeros sublatis, vndique flammis circundarentur. Igneum namque illud flumen, cum ad illos peruenisset, dissectum esse atque ad latera hinc & inde recessisse, illosque vna cum parentibus illæsos transmisisse.

Simonides.

Ex prodigijs & ostentis DEI prouidentiam demonstrari.

CAPVT V.

VETVS



ETVS opinio est magnorum casuum quædam præsagia humano generi plerunque ostendi. φιλέει κως inquit Herodotus, προσημαίνειν εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλει ἢ ἔθνει ἔσεσθαι, id est, Signis quibusdam indicari solet, quando vel ciuitati vel genti alicui ingentia mala imminent. Eadem est Liuij Plutarchi Dionis, ac cæterorum historiographorum sententia. Quæ res num ita se habeat, hoc loco inquirendum. Erato.

Primum igitur vel omnis in vniuersum eiusmodi signorum obseruatio, tanquam vana & superstitiosa reijcitur, vel nonnulli vt minimum futuri euentus quibusdam indicijs præsignificantur. Nulla omnino futurorum indicia agnoscere, nisi quæ obseruatione discuntur, qualia sunt nautarum & agricolarum, hominis est inuerecundi, ne dicam insani. Vel enim ipsi dicendum conficta esse, quæ in historijs prodigia narrantur, vel errore quodam factum esse, vt visa vel audita putarentur, quæ nulla erant, vel nil aliud, quam συμπτώματα sequentium euentuum esse, quę vulgò prodigia dicuntur, nec vllam futuri significationem habere. Mendacij redarguere tot homines, qui prodigia se vidisse affirmant, nimis illiberale esset. A

timidis verò quædam præsumpta potius quàm verè conperta esse facile assentior: at non omnia esse talia, ipsa prodigiorum exempla, quæ mox referemus ostendent.

Sed neque symptomátum rationem habere, quæ vulgò in prodigijs numerantur verisimile est. Quædam enim ostenta tam apertè præ se ferunt rei, mox subsequentis significationem, vt nihil agat quisquis se id inficiando obscurare posse, existimet. Quid enim certius, quam armatas acies per aërem discurrentes belli imminentis indicium esse? Atqui tale prodigium vix vlli seculo defuisse ex historijs liquet. Nam & secundo Maccabæorum antequam Antiochus Epiphanes Hierosolyma occuparet visæ scribuntur, & Plinius libro 2. naturalis historiæ multa huius rei exempla commemorat. Armorum, inquit, crepitus & tubæ sonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis accepimus, crebroque & prius & postea. Tertiò verò consulatu Marij ab Amerinis & Tudertibus spectata arma cœlestia ab ortu, occasuque inter se cōcurrentia, pulsis q̃ ab occasu erat. Similiter ante aduentum Longobardorum in Italiam igneas & cruentas pugnatorum cohortes in aëre apparuisse in vita Caroli magni Robertus Gaguinus commemorat. Præterea vtcunque ambiguum sit num pluuiæ la-

Armatę acies in aëre.
Cap 5.
Cap. 59.

quæ lactis, carnis, sanguinis, lapidum, ac lanę aliquam futuri significationem habeant, quis tamen voces à bestia, vel incerto auctore prolatas, quibus aliquid prosperi vel aduersi prædiceretur futurorum indicia fuisse neget? Tales autem sæpenumero ab hominibus exauditæ sunt. Nam Iosephus ante excidium Hierosolymorum ait in templo à sacerdotibus vocem perceptam quæ diceret, Eamus hinc. Rursum, Domitiano Imperatore interfecto coruus Romæ auditus est, publicè clamitās ἔσαι πάντα καλῶς, id est, omnia benè succedent. Quomodo etiam dubium esse potest, quin alicuius magni mali præsagia sint ea spectra, quæ cunctis intuentibus horrorem incutiunt, cuiusmodi fuit ille cometa, qui anno 27. in Germania apparuit, magnitudine inusitata & specie brachij quod ensem gestaret, in cuius mucrone tres stellę apparebant: in lateribus verò radij sanguinei, inter quos interpositę erant humanę facies comis barbisque hispidæ. Insuper frequentissimè temporibus Christianis cruces in cœlo & in vestibus apparuisse leguntur. Constantinus Magnus crucem in aëre vidit, cum hac inscriptione, In hoc signo vinces, idque se ex ore Constantini, etiam interposito iureiurando ita rem se habere affirmantis, aliquoties se audisse scribit Eusebius in

De hoc cometa vide lycosthenem & Gilbertū Cognatū de historijs tragicis.

vita eiusdem, libr. 1. cap. 22. Imperante Iuliano apostata crux splendida in mõte Oliueti apparuit, de qua Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iulianum, & Theodoretus lib. 3. historiæ ecclesiast. cap. 17. Idem Nazianzenus eadem oratione dicit Iudæorum, qui templum suũ apostatæ hortatu instaurare volebãt vestes crucis notis impressas fuisse, quas tum adhuc retinerent. Maximiliani Cęsaris tempore in Germania non solum crucis, sed & clauorum & lanceæ typi in hominum vestibus apparuerunt. Hoc Nauclerus generatione 51. Faber in oratione funebri de obitu Maximiliani, hoc denique Frãciscus Picus testatur carmine quodam ea de re composito, in cuius ad Maximilianum Cæsarem præfatione, ait sibi apud eundem agenti in Germania demonstrata esse corpora cœlesti quadam nec visibili pluuia, eiusmodi figuris variegata. Franciscus Aluares suę Aethiopicæ peregrinationi adiunxit epistolam regis Aethiopũ ad Emanuelem Portugalliæ regem, in qua scribitur Lusitanos, qui ad salutandum Aethiopiæ regem missi erant, cum nullum portum illius regni inuenire possent, tandem cruce in aëre conspecta versus illam direxisse proras, & in optatum portum feliciter inuectos esse. Antequam Fridericus Imperator, cum Alexandro pontifice

Fulgosius.

tifice

tifice ad bellum descenderet, clara in globo lunæ crux conspecta est. Quis autem dubitet, quin crux insigne Christianissimi vel boni quicquam vel mali Christiano nomini portendat?

Denique nonnulla prodigia in ortu & occubitu magnorum virorum apparuerunt, quæ sine dubio συμπτώματα non fuerunt. Prodigium illud infantium Iacobi & Esau in vtero matris confligentium, non solum quia sacræ literæ pro signo euentus futuri habent, ab omnibus pijs tale habendum est, sed etiam, quia facile conijcitur, tam inusitatam collisionem inimicitias futuras præsignare. Quod mater Aeneæ Siluij cum ipsum gestaret, visa est sibi mithratum infantem parere, quid aliud, quàm futuri Pontificis Maximi præsagium fuit? Quòd S. Nicolaus adhuc infans quarta & sexta feria à sugendis vberibus maternis abstineret, quis non videat futuram viri istius sanctitatem ostendisse? Atqui talibus exemplis omnes historiæ refertæ; quorum si aliqua duntaxat pro futuræ alicuius rei ostento habeantur, obtinuimus Dei prouidentia mundum administrari. Quod idcirco adijcimus, quia in Ethnicorum libris multa prodigiorum nomine recitantur, quæ reuera nihil minus fuerunt, vt Cicero eorum vanitate fretus, ausus Iacob & Esau.

sit 2. de diuinatione hoc genus obseruationes in totum reijcere. In quibusdam tamen videas ipsum hæsitare, nec tribus suis effugijs, casu, inani persuasione, & hominum mentiendi licentia, in tutum euadere posse. Sed argumentatur etiam ille contra futurorum, per eiusmodi prodigia significationem. Primum, inquit, vel certò futura sunt, quæ hisce signis portenduntur, vel aliquod impedimentum frustrari potest eorum significationem; si certò futura sunt, nulla vtilitas ex eorum prædictione, imò satius esset ea ignorari, ne homines imminẽtis mali expectatione torqueantur. Si incertũ an euentus sequetur, ergo DEVS falli posset.

Paulò aliter hoc Cicero proponit.

Solutio.

Sed ad hæc facilis responsio est. Existimo enim nonnulla immutabilis decreti indicia esse, quædam verò non nisi in modum cõminationis significare; quæ distinctio in vaticinijs quoque prophetarum locum habet. Vtraque verò præsagiri & hominibus vtile, & Dei maiestate non indignum. Nam eorum quæ certò euentura sunt, præsignificatio si nil aliud, hoc certè commodi affert, vt intelligant homines, nihil ipsis accidere, quod non multò ante à DEO prouisum sit. Admonentur etiam vitam ac mores corrigere, vt si non huius saltem futuri seculi æterna supplicia euadant. Similiter incerta, quibus,

quibus, ne ad grauiora progredi sit necesse, cóminatur tantum, non solum magno cum fructu humano generi præsignificantur, sed etiam sine vlla diuinæ maiestatis iactura. Quę enim diuinę maiestatis imminutio metui potest, cum euentus signo non respondet, si intelligant homines aliquãdo minari Deum, vt ipsis se ad meliorem frugem recipientibus, flagellis non sit opus? Obijcit deinde, idcircò non videri prodigia tanquam signa futurorum à Deo mortalibus ostendi, quod nonnullorum significatio tam sit ambigua, vt quisque ea pro se interpretari possit, quorundam adeò obscura, vt alia ad eorum intelligentiam diuinatio necessaria esse videatur. Id adiectis quibusdam exemplis confirmat, sed vanis & superstitiosis. Itaque respondemus in eo peccasse Ethnicos, quod nimis facile quicquid prælium inituris occurrebat, futuri euentus significationem habere crediderint: ac eiusmodi ficta prodigia fictis quoque interpretationibus ad suę causę successum accommodârint. Sed iniquũ esset ex falsorum prodigiorum obscuritate, veris fidem detrahere velle. Quod si tamen vllum verum prodigium obscuram intelligentiam habuisse ostenditur, id certè minimè dubium fuit, ipsum boni aut mali quippiam humano generi portendisse. Obiectio. Solutio.

ac proinde quantum in ipso fuit, homines ad precandum Deum, vt signa conspecta in bonum conuerteret, extimulasse. Obijcit alia quædam, sed indigna quibus refellendis lectorem detineamus. Itaq; hoc fixum esto Deum ad testificationem suæ prouidentiæ erga humanum genus, quædam futura idoneis signis presagire. Verùm nondum liquet an causarum series in prima mundi institutione sic disposita sit, vt naturali consecutione euentus pariter & signa è suis causis paulatim euoluantur, an verò DEVS singula prodigia singulatim exhibeat. Id quod tamen nisi quo modo se habeat explicetur, incertum manebit an ex prodigijs nil aliud quàm mundum à DEO conditum esse demonstretur, an verò quod etiam vsque in præsens eius gubernacula tractet. Aio igitur huius disiunctionis prius membrum nullo modo verisimile esse. Primum enim pleraque prodigia ad naturales causas reuocari non possunt. Et si maximè concedamus signorum quædam semina in mundi primordio iacta esse, de euentibus tamen id cócedi nec debet, nec potest. Nam is sæpè cótingens & in arbitrio hominum positus est: quod genus rerum non habet vllam certam cum suis causis connexionem. Nec talis causarum series institui potuit, è qua Iulij Cæsaris ambitio,

Disputatio: nū prodigia fiant naturaliter.

btio ineuitabili necessitate emergeret, vt propter illam Romani proceres in eius necem coniurarent, & prodigia, quibus eam præsignatam historici affirmant, vana non essent. Ac si instituta esset, nō tam ipsi, quàm DEO optimo maximo Cęsaris ambitio imputanda esset. Id verò falsum & absurdum esse neque Plato ignorauit: nam sęcundo libro πολιτειῶν vult ea de causa poetas è rep. benè instituta pellendos esse, quod ij Deum non solum miseriæ sed & malitiæ humanæ causam constituant. Nominatim verò Aeschylum taxat, cuius est illud:

Plato negat Deum auctorem humanæ malitiæ.

Θεὸς αἰτίαν φύει βροτοῖς
ὅταν κακῶσαι παμπήδην δόμον θέλει.

Id est, Deus causam affert mortalibus, quādo familam quampiam omnino affligere vult. Sed quid si dicamus euentus tantum præuisos à DEO, non verò prouisos (sinant quęso Ciceroniani me hęc duo cum theologorum schola doctrinæ causa distinguere) signorum verò quædam semina in prima mundi creatione sparsa esse, & causas eorum ita dispositas, vt quando euentus in propinquo est, appareant? Minus absurda est hæc sententia, ac propterea non desunt, qui siderum defectus, quorum causas in prima rerum creatione institutas esse minimè dubium, eum in modum futurarum calamita-

Alia imaginatio.

tum

tum ostenta esse defendunt: sed tamen falsa, vt multis argumentis demonstrari posset, nisi superuacaneum esset, cum ijs contendere, qui etiam futura cõtingentia à Deo præuideri fatentur. Hoc enim concesso de speciali eius erga humanum genus prouidentia quæstionem mouere, deméntia esset. Cùm igitur omnibus modis DEI erga homines prouidentiam è prodigijs elucere patefactum sit, ad aliud argumentum nobis transeundum.

Nullo seculo defuisse prophetas.

CAPVT V.



VT per vaticinia seu prædictiones DEI prouidentia demonstretur, primo sciendum nullis non seculis in humano genere aliquos esse inuentos, qui futura multò ante præsentirent. Iacob patriarcha morti propinquus quid filijs suis eorumque posteris euenturum esset prædixit, quæ impleta esse omnes norunt. Nam Iudæ progenies sceptris potita est, cuius rei tunc temporis nulla dum indicia extabant. Esaias Cyri Persarum regis nondum nati, non solum res gestas, sed & nomen prędixit. Daniel Persarum regnum à Græcis euertẽdum & belli huius ducem Alexandrum haud diu

Esa. cap. 45

Daniel. 8.

rerum

rerum potiturum, ac deinde quatuor alios reges potentia inferiores eius loco exorituros, hosque & omnes alios mundi reges potestati Romanorum subijciendos, tanta perspicuitate prędixit, vt Iudæi Alexādro Magno hoc vaticinium ostendentes, eum sibi magnopere deuinxerint. Tales denique cæteri Hebræorum prophetæ extiterunt, qui Christi domini nostri natalem locum, tempus nascendi, vitam, mores, afflictiones & mortem, Iudaicæ gentis excæcationem, atque inde secuturam regionis ipsorum vastitatem, gentium ad DEVM Abraham conuersionem tam perspicuè descripserunt, vt quisquis eorum vaticinia inter se confert, dubitare non posit, quin de nostro saluatore IESV verba fecerint. Posterioribus verò seculis Iustinus Martyr in ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 18. ab Eusebio citatus, ait suis temporibus donum prophetię in Ecclesia viguisse. Idem Irenæus lib. 2. contra Hæreses cap. 58. affirmat. Basilius libro de spiritu sancto cap. 19. auctor est Gregorium Neocæsariensem adeò hoc diuino charismate polluisse, vt ipsius prædictiones μηδὲν τῶν ἄλλων ἀποδεῖν προφητῶν nullo pacto aliorum prophetarum vaticinijs cedant. S. Antonium prophetam fuisse, & præter alia multa etiam tempestatem illam quà Ecclesiam Catholicam

Iosephus.

tholicam Arriana hæresis concussit prædixisse Athanasius in vita eius scribit. Quin & ipse Athanasius se huius doni haud expertem fuisse, multis argumentis ostendit. Nam cum gentiles ei tanquam auguria Ethnico more obseruāti insultare volentes, rogarent quid sibi coruus ille vellet, quem fortè crocitātem audiebant, sciscitarētur, respōdit is, nō à coruo edoctus, sed procul dubio à spiritu sancto: Coruus ille cras ingeminat, quod Latinis sonat diem proxime sequentem. Is enim vobis tristis & iniucūdus accidet. Prædictionem illam non fuisse vanam, mox euentus docuit. Nam postridie ab Imperatore Legati missi, ethnicorum fana claudi, & idolorum sacrificia omitti iusserunt. Sozomenus lib. 5. historiæ tripartitæ cap. 27. Antiochiæ quidam ludimagister Christianus à Libanio Sophista rogatus, quid fabri filius ageret (Christum dominum blasphemus ille intelligebat) respondit creator omnium, ô Sophista, quem tu fabri filium nominasti, loculum Imperatori Iuliano concinnat. At post dies non ita multos affertur Iulianum in Perside occisum, loculoque inclusum aduehi. Theodoretus lib. 6. hist. tripart. ca. 44. S. Martinus Turonēsis cum vacationē à militia flagitaret, in animo habēs deserta seculi militia totum se DEI obsequio dedicare, quod

Athanasi⁹

Libanius Sophista.

D. Martinus.

quod petebat ab Imperatore Iuliano non potuit impetrare. Aiebat enim nô religionis causa militiam ab eo detrectari, sed ignauiæ & timori id imputandum esse. Cui Martinus. Si hoc ignauię asscribitur non fidei, crastino die ante aciem inermis astabo, & signo crucis non clypeo protectus aut galea hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi igitur in carcerem i[illegible] ur, facturus fidem dictis. Postera die hostes legatos de pace miserunt se suaque omnia dedentes, cum tamen, quando Martinus ista diceret, nulla spes pacis affulgeret Sulpitius capite 3 de vita Diui Martini. S. Ambrosius cuidam Macedonio aditu prætorij ipsum prohibenti, prædixit fore, vt ad Ecclesiam confugeret, nec eius ingressu potiri posset. Id paulò post, vti prædictum erat, euenit. Paulinus in vita eius. Notissimum quoque Ioannem Anachoretam Aegyptium prophetiæ gratia claruisse. Futura, inquit Zozomenus libro 8. historiæ tripartitæ cap. 1. de hoc Ioanne loquens, huic non minus, quàm antiquis prophetis reuelabatur. Quod cum non lateret Theodosium Imperatorem, nûtios ad eum misit, de euētu pugnæ quam contra Eugenium tyrannum commissurus erat, quæsituros. Quibus ille respondit Imperatorem prælio superiore m futurum, tyrannum perempturum, & post victo-

D. Ambrosius.

Ioãnes Anachoreta

riam in Italia moriturum. Omnia hæc eo ordine quo prædicta erant, acciderunt. D. Benedictus, cum omnium sermone tãquam propheta celebraretur, Totilas Gothorum rex vt exploraret, num ita se res haberet, Riggonem spatarium suum regio cultu & magno comitatu ad eum præmisit, mandans ei, vt se Totilam esse simularet. Quem Benedictus eminus conspiciens, pone, clamat, fili id quod portas, nam tuum non est. Fraude igitur deprehensa Totilas ipse per se virum DEI accessit, ac de rebus suis eum consulens tale responsum retulit. Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annos regnans decimo moriturus. Quæ eum in modũ accidisse ex rerum Gothicarum scriptoribus liquet. Porrò ne solum domestica consectari videar, ostendendum & inter gentiles futurorum præscientiam viguisse. Primum igitur habuere illi Sibyllarum carmina; habuere diuinationem per somnia, & quasdam alias futurorum significationes, multis erroribus ac superstitionibus contaminatas illas quidem, sed tamen, in quibus adhuc quædam extrema lineamenta diuinæ prouidẽtiæ apparerent. Herodianus libro 2. suæ historiæ scribit Seuerum Imperatorem somnij, quod ipsi imperium portendebat, æream imaginem Romæ in publico statuisse, e-

D. Benedictus.

Ethnica exempla.

amque

amque adhuc suo tempore superfuisse. Suetonius refert vxorem Cæsaris pridie quam is occideretur, in somnis vidisse illum vulneribus confossum, in gremio suo iacere. Galeni & Hipprocratis admiranda somnia ex libri præcedentis cap. 8. repeti possunt. Narrat & Cicero sua quædam somnia lib. 1. de diuinatione, quibus ad amussim euentus respondit. Ac tot tamque illustribus experimentis commotus Nemesius ait errorem quo Deus singularia curare negatur, neque consentaneum esse ijs, quę videntur singulis fermè diebus. Nec mirum hæc à Nemesio dici Christiano scriptore, cum & Auerrois aliâs diuinæ prouidentiæ hostis acerrimus, nimia rei euidentia cõuictus concedat somnia, quæ futurorum pręsagia contineant, diuinitus aliquando hominibus immitti. Eâdem fuit Auicennæ peripatetici non ineruditi sententia.

Ex futurorum præsensione DEI prouidentiam confirmari.

CAPVT VI.

POST quam demonstratum est aliquam inter homines diuinationẽ versari, deinceps nullo negotio res humanas DEO curæ esse doceri potest. Vel e-

 nim

nim casu prædictio cum euentu consentit? vel certa ratione illud contingit. Casu ad scopum prophetas, quorum supra mentio facta collineasse, nullo modo verisimile est, propter mirabilem vaticiniorum, cum ipsis rebus cõsensum. Quòd si quis tamen id pertinaciter contenderet, hunc rogare velim, cur hi per totam vitam in conijciendo tam felices fuere præ alijs hominibus, vt magis quàm illi prophetarũ loco sint habiti? Quomodo fieri posset, vt è duobus sagittandi æquè imperitis, vnus præ altero tam sæpè scopum attingeret, vt famam periti sagittarij sibi compararet? Si verò hos duos, arte & inertia distingui oportet, etiam prophetas à non prophetis certo aliquo charismate discerni necesse est. Quodnam autem illud erit? An vis quædam homini à natiuitate insita, an verò cœlestis afflatus? Ac non posse esse homini naturalem diuinandi peritiam, multis argumentis ostendi posset, verum nobis in præsenti vnum suffecerit. Si igitur naturalis esset vlla diuinatio, inesset humanæ menti futurorum contingentium notitia à natura, & qua ratione aliquorum, eadem & omnium. Infinita ergo, cum sint ea contingentia, infinitam quoque hominis mentem qua ea comprehendere posit, esse necesse. Atqui finita est mens humana, non

Nulla diuinatio naturalis.

habet

habet igitur infinitorum contingentium ex natura sua notitiam,& proinde nullam omnino. Si verò cœlesti afflatu peritiam diuinandi cõsequitur, ea vel erit dispositio quædam ipsius,quam vbi adepta fuerit, ꝑ se vaticinari queat, vel ab extraneo agente futurorum ei notitia infunditur. Prius horum Aristoteles in libello de diuinatione per somnium amplecti videtur. Illic enim somniorũ, quibus pòst euentus respõdet,causam statuit melancholiam. Hi enim cum varijs spectris feriantur in illa somnia incidunt subinde, quæ ab euentu non discrepant, sicut qui totum diem iaciunt, interdum in album incidere solent. Sed vt fatear corporis dispositionem non omnino nihil ad rem facere, eo quod prophetæ veteres sono cytharæ exhilarati, spiritum diuinandi concepisse legantur; aliud tamen quàm vagam & fortuitam coniectionem quam melancholici humoris commotio gignat,fuisse sanctorum prophetarum supra memorata oracula,manifestum est. Quomodo enim integri libri vaticiniorum tam accuratè perscribi potuissent ab ijs,quibus melãcholicus humor varias imagines suggerebat. Ad hæc Baruch scriba Hieremiæ à Iudæis rogatus, quomodo ex ore eius dictatas prædictiones excepisset, Ex ore suo, inquit, loquebatur quasi legens omnes

Aristotelis opinio de diuinatione.

Confutatio.

Cap. 36 Hieremiæ.

Cc 2 sermo-

ſermones iſtos,& ego ſcribebam in volumine atramento. Non igitur in raptu & extaſi, vel per melancholici humoris commotionem Hieremias vaticinabatur,ſed animo ſedato in diuino quodam lumine futura conſpiciebat. Animaduertit & Cicero poſteriori de diuinatione libro, Sibyllas tranquilla mente futura prædixiſſe, quòd eorum carmina per ἀκροστιχίδα procedant. Id enim eſt magis attenti animi quam furentis. Fateor quidem in animum cõmotum ingẽtem volitantium cogitationum turbam incurrere, & propterea qui alias elingues erant, cum vel ebrij ſunt, vel affectu aliquo perturbati, diſertos fieri. Vidi enim ego ipſe hominem cum inter milites Gallos periclitaretur, promptiſsimè ad omnia reſpondentem, qui alias vix tria verba Gallica ſine hæſitatione proferre potuiſſet. Et Plato auctor eſt Tynnichum poetam enthuſiamo correptum hymnum in laudem Apollinis doctiſſimum compoſuiſſe, cum eius alia poemata frigerent. Verùm nihil hæc ad propheticas prædictiones. Nam talibus, quæ inerant ſpecies, commota mente quam ſedata facilius occurrerũt, prophetę verò de rebus futuris, & prorſus ignotis verba faciunt. Ad hæc Ariſtoteles ipſe fatetur, melancholicos de negotijs ſuis & amicorum aliquando vera ſom

niare;

niare posse; de rebus verò extraneis somniantes si scopum attingant, id totum fortuitum vult esse: atqui prophetæ de negotijs à vitæ suæ consuetudine remotissimis, & super quibus à nemine consulti erãt loquentes, verissima vaticinati sunt. Denique, vt ingenuè dicam, id quod sentio, non capio quomodo hic diuinandi modus aliud sit, quam temeraria eius quod euenturum est coniectio, nisi talium diuinatorum mentem vi naturali futura prouidendi præditam esse dicamus, quæ humorum commotione excitetur. Rursum enim quęretur, cur inter tam multos furentes & mente alienatos quidam diuinent, quidam nullo modo? Quare etiam qui mente constant, dum varię ipsis, vt fieri solet, imagines occurrunt, minus aliquando ad scopum iaculari possent, quam motæ mentis homines? Si possent, cur non æquè horum atque illorum motus diuinationis causa obseruarentur. Itaque satius erit, simpliciter confiteri futurorum cognitionem non proficisci ab vlla intranea corporis dispositione, sed extrinsecus hominibus aduenire. At verò si quęnã eius extranea causa esse queat dispiciamus, non facile alia occurret, præter immortalem DEVM, vt qui solus infinita mẽtis perspicacitate res ex se incertas, certò cognoscere posit. Si verò

DEI munere ad homines peruenit futurorum cognitio, haud dubiè sequitur humanum genus ab ipso curæ haberi; id quod demonstrandum erat.

Ex miraculis creaturarum facultatem superantibus idem liquere.

CAPVT VII.


Veterum philosophorum nonnulli, quoniam in solam naturam & consuetum rerum ordinem intenti erant, cum nullam in eo mutationem suo æuo animaduertissent, nec quicquam in mundo gigni, cuius non aliquid simile prioribus seculis visum fuisset, Deum nihil noui agere concluserunt, sed conseruare duntaxat ea quæ semel constituta essent. Postea quò plausibilius hoc dogma videretur, additæ etiam rationes, cur nec posset nec deberet quicquam noui ab ipso fieri. Quæ cum multos ingeniosos homines diu torserint, est cur maximas DEO gratias agamus, quod is nostra ætate omnia philosophorum epicheremata, quibus DEVM sine sui mutatione nihil noui agere posse demonstratum esse iactitant, sensibili experimento telis aranearum nihilo firmiora esse declararit. Cùm enim cœli substantiam ex natura sua incorruptibi-

ruptibilem & ingenerabilem esse, & sensus nullam tot seculis mutationem in ea percipientes testentur, & ratio postulet id, à quo cętera foueantur & conseruantur, ipsum fotu & conseruatione propter suam ἀφθαρσίαν non indigere: vidimus nihilominus anno 1572. nouam stellam in cœlo emergere, & paulatim rursus euanescere. Cùm igitur naturæ legibus talis in cœlesti corpore mutatio non sit consentanea, miraculum illud fuit, ex quo intelligi posit, non esse Dei vires naturarum institutione sic exhaustas, vt nō multa noua quando honor eius hoc requirit, fabricari queat, multò minus sua immutabilitate ipsum impediri, vt curam de moribus hominum gerere non posit.

Noua stella.

Sed roget quispiam vnde sciatur, stellam hanc in æthera regione collocatam fuisse? Cui respondendum multis iisque firmissimis argumentis illud deprehensum esse. Primū enim luminis claritas in ea maior, quàm in cometis erat. Adhæc instar fixorum siderum scintillabat, quod neque planetis accidit, nedum iis, quæ in elementari regione cōstituta sunt, eueniat. Deinde locum in Zodiaco non mutabat, nam perpetuò latitudo eius fuit, 53. partium 55. scrupulorum, longitudo verò 6. part. 51. scrup. Tauri: at cometæ mutant longitudinem simul & latitudinem:

Rationes, quibus ostenditur nouā stellam in cœlo fuisse.

nem. Motus huius stellę fuit regularis, & per omnia qualis inerrantium: sed cometæ irregulari & inæquabili celeritate mouentur. Apparere cœpit hęc stella anno 1572. sub finem octobris & integrum annum durauit: atqui cometę non nisi paucos menses in aëre conspiciuntur. Denique, quod omnium firmißimum, sidus hoc nullam habuit parallaxin, seu, vt vulgò appellant, diuersitatem aspectus; at luna & quicquid illa inferius, habent. Est autem parallaxis interstitium loci veri & apparentis, quorum non est notabilis differentia, nisi cum radius ab oculo ad stellam productus, cum linea quæ à centro ad eandem protracta fingitur, angulum facit, qui propter nimiam laterum extensionem insensibilis fiat. Vnde intelligitur ea, quæ parallaxin non habent, longiori interuallo à nobis distare, quàm quorum nulla est aspectus diuersitas; ac ideò cum lunæ alius sit locus apparens à verò, noui autem sideris non item, supra lunæ globum hoc sidus consistere. Nihil ergo certius, quàm in cœlesti corpore hoc portentum visum esse, & philosophiá, quę diuinę potestati certos limites pręfigit vanam & fallacem esse. Poßemus huc adijcere miracula, quibus in sublunari mũdo Deus suam omnipotentiam testatam fecit, ceu sunt mortuorum suscitatio, cæcorum

rum

rum illuminatio, & quæ alia in facris literis plurima enumerantur, fed quia ad impios Philofophos reuincendos abundè fufficit noua ftella, quàm integro anno cuncti mortales fpectarunt, cæteris omifsis in præfens hoc vno contenti erimus.

Omnium fapientum confenfu DEI prouidentiam confirmari.

CAPVT VIII.


Actenus rationibus rem gefsimus, nunc ad auctoritaté tranfeundum. Inter arguméta verò quæ ab auctoritate fumuntur, non poftremæ firmitatis eft, quod à fapientum confenfu fumitur. Nam fi apud vllos homines veritas quærenda, vbinam magis opportunè, quàm apud fapientes quæretur? Deinde eam ob caufam natura hominum conditiones difcreuit, ac vnum præ altero ingenij dotibus cumulauit, vt dum nonnulli fibi fuæ imperitiæ confcij ex fapientiorum præfcripto vitam componũt, ac vicifsim hi à rudioribus & ferendo corporis labori magis idoneis aluntur, firmiori inter fe charitatis nexu deuinciantur. Qui igitur fapientes audire detrectat ordini à natura inftituto aduerfatur; & reuera, fecundum Hefiodi admonitionem, extra clafses Hefiod.

laudatorum ad eos, qui planè sunt inutiles, hominum vitæ reijciendi sunt. Ne quis tamen de nomine sapientis mihi litem moueat, sapientem hoc loco eum appello, qui ob ingenij non vulgaria dona in se animaduersa reliquo hominum vulgo maior, dum viueret, habitus est, quales fuere apud barbaros sacerdotes, apud Græcos Poetę, Philosophi & Oratores. Quem in modum descripto sapiente, aio sapientes omnes, licet alijs de rebus inter se dissideant, in prouidentiæ tamen dogmate tuendo, paucis exceptis concordes esse. Cuius rei testimonia cum diligentissimè Augustinus Steuchus collegerit, hoc loco ea repetere superuacaneum esset. Quare ijs omissis hoc tantum inuestigabimus, an Aristoteles, qui inter huius mundi sapientes omnium iudicio principatum tenet, integrè DEI prouidentiam agnouerit. Non quod eius auctoritas tam magnum in vtranque partem momentum habeat, vt cõtra tot rationes & experimenta, contraque omnium aliorum, qui sapientiæ opinione floruerunt, tantum consensum, ipse solus debeat audiri, verùm quia operæpretium est scire, quid de tam celebri quæstione tantus Philosophus senserit. Primum igitur sublunarem hunc mundum Aristoteli diuinæ ꝓuidẽtiæ expertem esse, omnes ferme veteres theo-

De sapientibus hic in genere loquimur, siue reuera tales sint, siue ab hominibus existimentur.

theologi affirmant. Idem ei Platonis secta-tor Atticus apud Eusebium lib. 15. præparationis Euangelicæ exprobrat. Ac licet nusquam exertè in libris, qui nunc extant tale quicquam profiteatur, non desunt tamen argumenta, quibus hac eum mente fuisse, colligitur. Nam in 8. physicorum negat Deum futurum immutabilem, si quicquam agere incipiat, quòd non perpetuò egit, nulla præcedente in eo, quod patitur mutatione. Vnde sequitur non pro libitu ipsum quod vult de inferiori mundo statuere posse, sed eadem manente rerum sublunarium constitutione, semper idem efficere. Quòd si verum est, magis naturæ suæ, quàm diuino arbitrio commissus erit. Deinde eodem in libro expresse affirmat, nihil à DEO, nisi interuentu cœlorum agi, eo quod simplex cum sit, nil nisi simplicem & vniformem primi cœli motum queat efficere. Ibidem paulò inferius Deum supremo cœlo affigit; quod profectò si verum esse concedamus, simul etiam vltra cœlos non pertinere eius prouidentiam, cócedendum erit. Regens enim simul cum eo quod regitur existat necesse est, atqui si essentia DEI cœlo terminatur, non potest simul cum inferiori mũdo esse. Quartò, in 12. trãsnaturaliũ cõtendit, eũdem nihil præter suam essentiã intelligere, ne aliarũ rerum

Argumẽta quibus docetur Aristotelem negare ꝓuidẽtiam inferioris mundi.

Vide finẽ capit. sexti lib 8. physicorum.

Cap. vltimo libr. 8.

rum cognitione ipsius intellectus vilescat; non posset autem inferiorem mundum sua cura complecti, si, quæ ibi geruntur, eius scientiam fugiunt. Denique in libro secundo de interpretatione existimat, futura contingentia nō habere determinatam veritatem, eò quod certa cōtingentium veritas ruinam libertatis arbitrij, & omnium rerum absolutam necessictatem secum afferat. Atqui si Deus prouidentiam habet contingentium, certam quoque eorum pręcognitionem habeat, oportet. Quibus omnibus cōsideratis, apparet admodū probabiliter ex eius principijs inferri, Deum nihil cum terris negotij habere; Adde, quod calumniatores non fuere sancti patres, vt sine probabili causa tantæ impietatis Aristotelem insimularent; nec Auerrois lector eius diligentissimus hāc sententiam ex eo hausisset, si nihil in eo occurreret, vnde prima fronte consequi videretur Dei prouidentiam, vsque ad sublunarem mundum, haud pertingere. Nec de nihilo fuit, quod dum adhuc in viuis esset, in impietatis suspicionem ab Atheniensibus vocatus, in voluntarium exilium profectus esse dicitur. Non leuis quoque præiudicij vim habet contra Aristotelem vulgatissimum illud prouerbium, Platonis philosophiam superstitiosos efficere, Aristotelis impios.

Aelianus libro 3.

implos. Attamen neque pauca in contrariam partem afferri possunt. Primum enim libro 10. Ethicorum cap. 8. si, inquit, Deus curat res humanas vt videtur, probabile est maximè ipsum viros bonos amare. In politicis deinde inter reipub. necessaria post alimētum, artes, arma, pecuniam, subijcit quintum & primum esse religionem. Sed quæ potest esse hominum religio, nisi ipsis Deo res humanas curæ esse persuasum sit? Quod si quis hæc eum non ex animi sententia, sed Areopagi metu dixisse arbitretur, is ex constanti Philosopho leuiculum adulatorem & veritatis proditorem facit. Præter autem hæc aperta testimonia, quædam eius libris dogmata insperfa sunt, quæ sine singularium prouidentia cōsistere non possunt. Nam secundo de generatione animalium docet hominis mentem non gigni ex semine, sed extrinsecus accedere. Fieri, inquit, non potest, vt omnes animæ sint, corporibus priores. Nam quarum operatio corporea, eæ sine corpore non queunt subsistere, quemadmodum nec incessus sine pedibus. Quare extrinsecus ingredi non possunt. Semen enim ventris excrementum est. Restat ergo solam mentem extrinsecus ingredi, & solam diuinam esse. Neque enim ipsius operationi admiscet se corporis operatio: Hæc mentis in corpus

Argumēta in contrariam partem.

corpus immigratio non ita accipienda est, quasi mens alicubi ante corpus extiterit, hoc enim expressè negat in 12. primæ philosophiæ cap. 3. Verba eius hęc sunt: τὰ μὲν οὖν κινοῦντα αἴτια ὡς προγεγενημένα ὄντα, τάδὶ ὡς ὁ λόγος, ἅμα· ὅτε γὰρ ὑγιαίνει ὁ ἄνθρωπος, τότε καὶ ἡ ὑγίεια ἐστὶ, id est: causæ quidem motrices, vt prius natæ existunt, quæ verò vt ratio, simul. Cùm enim sanus est homo, tūc sanitas existit. Nihil aliud ergo sibi vult ijs verbis Aristoteles, quàm ab extraneo agente Deo recens creatas animas in corpus immitti, vnde vlterius consequitur etiam infra lunam collocata singularia eius prouidentiæ subiecta esse. Præterea primus actus voluntatis Aristoteli est à Deo, vnde, quomodocunque id intelligamus, semper efficietur sublunarem mundum Deo curæ esse. Nam si idcirco id verum est, quia anima hominis, cum à Deo crearetur, facultatem nacta est ab otio ad actum se transferendi, singularum rursus animarum Deus opifex constituetur. Sin quosque primos voluntatis motus in hominum voluntate producit, neque sic dubium erit singularem ab ipso humani generis curam geri. Posteriores deinde peripatetici sic Aristotelem interpretati sunt, vt Dei curam etiam ad res singulas extendi voluerit. Auctor libelli de mundo ad Alexandrum,

drum, qui, si non Aristoteles, certè peripateticus fuit, adeò non negauit specialem prouidentiam, vt etiam cuique pro meritis à DEO præmia reddi eorum exemplo confirmet, qui dum ex Aethnæ incendio parentes suos in humeris efferrent, flamma se diducente incolumes euaserunt. Eadem SIMPLICII, AMMONII, Syriani & aliorum veterum Peripateticorum sententia fuit. Sed neque Auerrois sibi in impia sua opinione constitit. Nam in 10. Ethicorũ scribens, perinde ac Aristoteles fatetur bonos viros esse Deo charos, & primum librum de cœlo enarrans, ait se diu intelligentiam cuiusdã dicti Aristotelici inquisiuisse, ac tandem à DEO inductum esse in veritatem, quo nihil ineptius dici potuit, nisi in particulari hominum studia à diuino nutu pendeant. Quid igitur in tanta in vtranque partem argumentorum probabilitate Aristotelem sensisse putabimus? An, quod nonnullos dixisse video, hoc ipsum egisse, vt nunc in hanc, nunc in aliam suspicionem trahendo lectorem, suam sententiam tegeret? At virum de humano genere tam præclarè meritum sine graui causa tantæ hypocriseos insimulare, mihi religio esset. An parum memorem eorum, quę vno loco dixisset, alijs contrarium decreuisse? Facile vt id, crede-

Auerrois sibi non constat.

crederem adduci possem, si de hoc solo dogmate tam diuersa scripsisset. Nunc verò cum æquè difficile sit eius doctrinam de animæ immortalitate, & mundi effectione, quorum vtrunque nonnunquam apertissimè confitetur, cum alijs quibusdam eius decretis conciliare, non obliuione, sed studio secum ipse pugnare censendus est. Haud enim verisimile tantum virum adeò infideli fuisse memoria, vt quid prius de rebus maximi ponderis statuisset, tam crebrò obliuisceretur. Denique facilius est, falsas Aristotelicæ repugnantiæ causas refutare, quàm veras in earum locum substituere. Si quid tamen conijcere possum, videtur mihi Aristoteles maximè in eam de prouidentia, animæ immortalitate, mundi ex nihilo creatione sententiam propensus fuisse, quàm Ecclesia ex sacris literis edocta, amplectitur. Multò enim illustriora sunt eius in illam partem, quàm in contrariam testimonia. Quia tamē videbat ex hisce dogmatibus, multa consequi humanó captu longè superiora, & suis principijs haud consentanea, maximè verò quia gentium religiones vanas & superstitiosas esse cernebat, admodum parcè de ijs locutus est, & aliquando etiam nõnulla dixit, vnde non immeritò se de impietate suspectum fecit. Nihilominus quod eo tempore quo


quo in sola Iudæa notus erat DEVS, gentes autem cæcæ noctis tenebris circumfusæ homo animalis, & à sensuum iudicio pendens hac quantulacunque rerum diuinarum cognitione imbutus fuit, argumento est, ijs, qui posteaquam solis meridiani fulgentissima luce omnium oculi feriuntur, videre nolunt, nihil cæcius, nihil deploratius, nihil peruicacius inueniri posse. Post Aristotelem verò de alijs minutioribus philosophis verba facere non est operępretium. Si enim ille probabile existimat res singulas à Deo curari, quis moueatur Epicuri id asseuerantissimè negantis auctoritate? Ne tamen ij, quibus vir ille haud satis cognitus est, putét me tam contemtim de Epicuro loqui, vt causę quam defendendam suscepi inseruiam, non ab re fuerit gustum quendam Epicureæ subtilitatis lectori præbere. Primum fingit mirabilis hic, si dijs placet, philosophus spatium inane infinitum, in quo innumeri mundi ex atomorum corpusculorum cohæsione & dissolutione vicissim oriantur, & intereant. Epicuro igitur corpora ex punctis indiuiduis componuntur, ac rursum in ea dissoluuntur, ac ideò falsum est, quicquid de linearum quarundam ad inuicem asymmetria Geometræ docent, falsa erit ipsa puncti definitio; ac plurima alia in-

commoda sequuntur, quę hoc loco enumerare longum esset. Ait præterea sensus nunquam falli, ac proinde solem, quia nobis haud maior videtur, bipedaldem esse. Dialecticam velut prorsus inutilem à Philosophia resecat: virtutem facit voluptatum ancillam. Multa alia sunt huius hominis deliramenta, quæ ipsum talem ostendunt, vt magis idcirco probanda sit DEI prouidentia, eiusmodi portento displicuit. Quodsi sectæ principi omnem fidem insignis eius stupor & vecordia detrahunt, multò magis Lucretij, Plinij, & aliorum qui talis magistri se discipulos & mancipia professi sunt, auctoritas contemnenda est. Vt igitur finem huic capiti imponamus, quia omnium poetarum, oratorum, philosophorum, & eorum qui apud Barbaros sapientiæ nomine clari fuerunt, vna vox est, DEI prouidentia hunc mundum, & præcipuè res humanas, administrari, paucis Epicuri de grege porcis reclamantibus, nemo deinceps prouidentiam in dubium vocabit, nisi qui tantum virorum sapientum consensum, nihil ad veritatis dijudicationem momenti habere arbitratur.

Ex omnium gentium consensu colligi aliquod numen mundo præsidere.

CA-

CAPVT IX.



ON solum verò sapientum sententia est DEO res hominum curæ esse, sed cuncti mortales tacito quodam naturæ sensu idem decernunt. Idque vt eo modo se habere intelligamus, sciendum est nullam vnquam gentem, nullum populum toto orbe terrarum repertum, qui non existimaret esse aliquem Deum colendum. Ac si aliquando eà de re dubitari potuit, nunc certè, cum totus orbis perlustratus est, omnium gentium ritus ac mores in literas relatæ, res hæc notior est, quàm vt ambigere de ea quisquam debeat. Inuenti in nouis insulis homines ἀπόλιδες, ἀνέστιοι, & plusquam γυμνόποδες χαμεῦναι, ferino ritu vitam propagantes, literarum omnium rudes, qui tamen qualescunque cætera fuerint, aliquod numen sibi colendum censuerunt. Multas barbaras gentes Romani patefecere, sed nullam quæ religione careret. Itaque Cicero audacter libro primo de natura Deorum, in omnium, inquit, animis Deorum notionem impressit ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? Non loquitur ille qui-

dem de religione, quia Cottæ Epicurei personam sustinet, sed reuera nunquam in vlla gente quicquam pro DEO habitum, quod non & coli debere putaretur. Quibus eum in modum constitutis, quæro num sit à natura homini studium religionis insitum, an αὐθαίρετον & sponte susceptum. Si à natura sit illud colendi numinis desiderium, non potest non veritate subnixum esse. Est enim natura hominis in veritatem propensa, & errorem tanquam rem naturæ contrariam auersatur, adeò vt neque qui alios fallere stũdent, sibi verba dari, æquo animo ferant. Si verò minimè naturalis est ea de cultu numinis persuasio, præter naturam homo diuini metus iugo p̃mitur. Atqui incredibile sine impulsu naturę homines libertatis amãtissimos diûum formidine tot milibus annorũ humiliari potuisse. Quæro deinde num ipse sibi eam colendi DEI necessitatem fingat, an verò principum & legum metu in illa seruitute contineatur. Ipsum sibi religionis necessitatem propter inopiam iudicij fingere aliquam probabilitatem haberet, si de solo vulgo sermo fieret; nam haud possum diffiteri, quin propter iudicij inopiam se multis superstitionibus imperita multitudo astringat; verum qui inter cæteros paulò meliori sunt iudicio, non patiuntur sibi

mise-

miserũ illud seruitutis genus imponi. Quis enim mediocris cordis homo nõ ridet dierum in faustos & infaustos distinctionem? At religioni tantò quisque addictior est, quantò sapientior. Ad hæc non ideò credidere gentes numina, quæ sibi confinxerant, esse colenda, quod rebus humanis magnæ vel noxæ, vel vtilitati esse possent, nec in eorum falsis dijs si per se cõsiderentur, quicquam occurret, vnde videri potuerit eos diuinis honoribus afficiendos esse. Sed quia natura hominis ad religionem inuitabat, nec quis DEVS qua religione coli vellet, propriæ mentis acumine quisquam perspicere poterat, idcirco ibi numen suspicati sunt, vbi nullum esset, & cum maximè contra pericula & terrores protectorem Deum natura requirat, id vnde aliquod in rebus dubijs subsidium sperabant, diuinitatis quippiam habere arbitrati sunt. Ita intelligendum, quod Symmachus gentilis ait, vtilitatem homini maximè Deos adseruisse. Nisi enim quædam anticipata notio in animis præcessisset, de alicuius numinis cultu & obseruantia, quæ consecutionis necessitas fuisset, ideò quicquam pro Deo habendum esse, quia vel admodum vtile rebus humanis, vel magna vi nocendi præditum esset? Omnis igitur animi per falsas religiones deiectio,

Epistola ad Theodosium.

mento, vt tu ais, subnixam, tempus edax rerum nihil iuris habuit? Atque tam vniuersalis, ac diuturna hac in re, concordia etiam argumēto est, neque principiū auctoritate, aut cuiusquam hominis suasu religiones deorum in hominum vitam inuectas esse. Vt tamen omnibus modis hæc res manifesta fiat, alijs hoc idem rationibus ostendemus. Constat igitur principes, vtcunque externam simulationem legibus à populo extorquere posse concedantur, non tamen animis hominum dominari: religio verò non solum in lingua hominibus sita est, verum in eorum cordibus etiam firmissimas radices egit. Vanissimum igitur hoc commentum est quod principes religionis onus tanquam μορμολύκειον suæ plebi, vt eam in officio continerent, minis ac terrore imposuerint, etsi Statius id probasse videatur, cum inquit: Primus in orbe deos fecit timor. Nihilo verius est, quod apud Euripidem Sysiphus ait, fuisse videlicet quoddam tempus, quo sine ordine viuebant homines, hanc verò perturbationem legibus sublatam esse. Cùm verò lex apertas iniurias tantum prohiberet, clam autem multi alios lęderent, sapientem quendam persuasisse hominibus, esse numen quod immortalem vitam duceret, omniaque audiret ac videret. Hæc in-

inquam nihilo verior eſt de religionis ortu ſententia. Vt enim donemus rudi vulgò, quod facile in errorem impellitur, tale quicquam perſuaderi potuiſſe, quis tamen credat viros graues & ſapientes vllius impoſtoris ſuaſu adduci potuiſſe, vt omnium ſuarum cogitationum inſpectorem & arbitrũ ceruicibus ſuis imminere crederent? Præterea ſi ita ſe res haberet, vtique hoc ab hiſtoriarum ſcriptoribus memorię proditum eſſet, atqui nulla huius rei veſtigia in vllo probato auctore deprehendi poſſunt. Romanorum ſacra à Numa Pompilio inſtituta eſſe, vulgatiſsimum eſt. Græcorum orgia ſecum è Thracia aduexit Orpheus. Nullàne verò ante hos in orbe religio erat, nihílne à populis & gentibus colebatur? Abſit vt totus mundus tanta DEI ignorantia laboraſſe dicatur. Multò enim ante hos falſarum religionum architectos, vera pietas erga vnum DEVM in Iudaica gente viguerat. Et longè antiquiſsima eſt idololatria, qua Soli & Lunæ quam reginæ cœli nomine Phœnices colebant, diuini honores attributi ſunt. Quocirca Iob ipſo Moſe antiquior, ad innocentiæ ſuæ teſtificationem etiam hoc affert, quod Soli & Lunæ cultum non exhibuerit. Si, inquit, vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito

Origo religionum.

Iob. 31.

ſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo; quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra DEVM altiſsimum. Huc pertinet quod in Heſiodi Theogonia cœlo antiquiſsima diuinitas tribuitur: & Plato in Cratylo auctor eſt primos Græcorum illa, quæ etiam Barbari, pro dijs habuiſſe, Solem, Lunam, terram, aſtra, & cœlum. Hæc enim cum ſemper curriculo in orbem ire cernebant, à currendo, quod Græci θεῖν appellant, θεοὺς id eſt, DEOS appellaſſe. Ad ſtatuas igitur vel mortuorum hominum ἀποθεώσεις, aut certum aliquem ritum ſacrificandi referendum eſt, quod certi homines apud quaſdam gentes primi religionum inſtitutores fuiſſe dicuntur. Tametſi neque ſtatuarum vſus tam recens eſt, vt Orpheo vel Numæ attribui poſsit. Hunc enim mox à Bello, qui NINI pater fuit, non ſolum profanæ, ſed & ſacræ literæ incepiſſe teſtantur. Nam Plinius lib. 6. Naturalis hiſtoriæ capite 26. de Babylonia ſic loquitur: Durat adhuc ibi Iouis Beli templum; inuentor hic fuit ſideralis ſcientiæ. Euſebius in chronicorum principio Aſſyrios Belum pro numine coluiſſe affirmat. In ſacris literis verò tam celebris eſt huius Beli cultus, vt omne idolum Beli nomine, aut Syriacè Baali, vocetur. Qua de cauſa dominus per Oſeam dicit futurum,

Origo idolorum.

Oſeæ 2. ca.

turum. vt verus Israel non amplius DEVM בעלי sed אישי appellet. Quanquam enim hebraico idiomate vxor virum בעלי, id est dominus meus appellet, quia tamen eadem vox idolum sonat, idcircò non vult DEVS vel nomen cum falsis dijs commune habere, sed אישי, id est vir meus à fideli populo salutari cupit. Ante Ninum verò Epiphanius, & post eum Suidas, Serug diuersas imagines elaborasse scribunt, easque diuino honore colendas persuasisse. Lactantius verò admodum probabiliter conijcit primum Prometheum statuas pro numine colendas erexisse, ac inde natam fabulam ex luto ipsum primos homines efformasse. Fulgentius in mythologia Syrophanem quendam in Aegypto primum idololatriæ auctorem statuit.

Cap. 14. Hunc enim, quod in libro sapientię dicitur, filio suo defuncto statuam posuisse, familiam verò eius, vt domino gratificarentur, flores illi simulacro obtulisse, ac odores incendisse, reos deinde ad ipsum cōfugientes, veniam consecutos esse. Hinc credi cœptum aliquid diuini idolis inesse. De idololatriæ igitur origine in auctoribus classicis multa inueniuntur, de religionis verò in vniuersum primo ortu altissimum in historijs silentium. Atque haud scio, an vllus mortalium queat firmiter in animum inducere nul-

lum esse numē, quod ab hominibus coli debeat. Protagoras tātū dubitauit: librū enim ob quem Atheniēsi vrbe pulsꝰ est, sic inchoauerat: De dijs existant ne an non existant, certum non habeo. Quin neque Plinius pronuntiare audet, nullum esse Deum. Si quis est, inquit, totus est sensus, totus animi, totus sui. Lucianus quanquam in Ioue tragœdo rideat DEI prouidentiam, in Philopseude tamen is, qui sapientis personam sustinet (quales auctoris sententiam in dialogis explicare solent) cum ipsi impingeretur, quod deos negaret, respondit se quidem credere Deos esse, sed superstitionem damnare. Auerroim ex eodem ore calidum & frigidum efflare, supra demonstratum est. Quod si tamen nonnulli existerent, quibus certò persuasum esset, non curare DEVM res humanas, ac nulla idcirco religione colendum, quia illi minima quędam totius humani generis particula existunt, nihilominus in cultum ac prouidentiam DEI totum orbem consentire dicendum esset. Consensus autem generis humani quid aliud est, quàm vox ipsa naturæ? Quod maius indicium veritatis, quàm tot tam diuersi status, conditionis, sexus, ætatis, in vnum dogma conspiratio? Aristoteles magnum quid se afferre putat, cum probaturus cœlum esse deorum incorru-

Nemo certò statuere potest nō esse Deū.

corruptibile domicilium, tam Grecis, quàm Barbaris id ab antiquo ꝑsuasum fuisse dicit. At nulla opinio antiqor, magisq́; in omnium gentium mores inoleuit, quàm Dei prouidentia res humanas administrari; vt si aliud nihil, ipsa profectò humanæ naturæ reuerentia nos cómouere posset ad hanc sententiam amplectendam. Qui enim totum genus nostrum erroris redarguit, quid aliud quàm naturam, cuius ipse particeps est, contumelia afficit? Quanto satius esset, cum Terentiano Chremete, homines cum simus, humani nihil à nobis alienum putare, quam omnium hominum contemto iudicio non tam ipsos excellere, quàm ad brutorum classem referẽdi esse videri? Pręsertim cum nulla re æquè homo à bruto, quàm religione & DEI cognitione discernatur.

Cap. 3. li. 1. de cœlo.

Quid respondendum sit ijs, qui existimant vel negandum esse rerum singularum prouidentiam, vel liberum arbitrium tollendum.

CAPVT X.

POST demonstratam Dei prouidentiam tempus nunc esset argumenta, quæ contrà obijci possent diluendi. Sed quia in eo munere, quam plurimi viri

docti

docti magna cum laude versati sunt: & maximè quia tempus nundinarum à typographo huius operis editioni præstitutum in propinquo est, duas præcipuas, & omnibus notissimas duntaxat obiectiones depulsurus sum, quarum prior ab humana libertate, reliqua verò à casu & fortuna sumitur. Sic igitur à quibusdam DEI prouidentia oppugnatur. Si DEVS res singulas curat, etiam eas cognoscat necesse est, non solum quando existunt, verumetiam æternis seculis antequam fiant. Nam si quicquam prius ignoratum, postea nosce inciperet, mutationem subiret ipsius intellectus. Sed DEI natura prorsus immutabilis. Si autem singula prisquam fiunt, à Deo sciuntur, quęro an certam, an verò dubiam eorum præcognitionem habeat? Si dubiam, neque, cum existêt, salua immutabilitate sua, certò illa nouerit. Si certam, actum erit de arbitrij libertate & contingentia, prorsusque fatali cuncta necessitate euenient. Nam fieri non potest, vt de rebus incertis & instabilibus certa cognitio habeatur. Posito enim, quod res aliter se habere possit, etiam DEI præscientiam falli posse statuendum erit, ac proinde DEVM non esse Deum. Quis enim pro DEO illum habeat, in quem error & deceptio cadere possunt? Dicet fortè quispiam, nunquam erratu-

Argumentũ à libertate cõtra pręscientiam & prouidẽtiam.

occurritur solutio.

raturum DEVM, ſed potuiſſe non præſciri; quod futurum præuidet, atque ita nullam ex eius certa προγνώσει neceſsitatem in rebus ſubiectis conſequi. Aliquid ad rem faceret ea reſponſio, ſi DEI præſcientia à rebus quæ cognitioni diuinæ ſubiacét, vllo modo penderet. Sed hoc perquam abſurdum eſſe videtur. Nam quicquid in DEO eſt æternum ac neceſſarium exiſtit, nec in immutabili & ſimplicisſima natura vllus eſt locus cõtingétiæ. Rurſum, ſi Dei cognitio vlla ex parte à rebus cognitis penderet, ab ijſdem quoque perfectionem ſui intellectus conſequeretur. Atqui Dei maieſtate indignum eſt, à creaturis ei quicquam perfectionis accedere. Sed, vt hoc omittamus, quomodo quęſo poſſent res futurę nec in ſeipſis exiſtentes, nec ſtatam & firmam cum ſuis cauſis connexionem habentes, diuinum intellectum ad ſui compreheñſionem excitare? Quanto melius D. Auguſtinus, cum ſcientiam futurorum DEO tribuere vellet, cenſuit eam non à rebus cognitis effici, ſed earundem effectricem eſſe? Hic eſt ille nodus, qui tot præclara ingenia torſit, nec vſque in pręſens, vt verum fatear, à quoquam ita ſolutus eſt, vt nullus ſuperſit ſcrupulus. Quid igitur hoc loco facturus ſum? An poſt tot doctiſsimorum hominum inanem laborem me vnum tam perplixæ diffi-

difficultatis enodationem peruidiſſe dicam? Arqui ea minimè ferenda arrogantia eſſet. An tacitus hanc obiectionem præteribo? Sed tunc cauſa inferior videbor. Vt igitur ex tam ſcopuloſo loco ſaluus in tutum euadam, primum lubens fateor, poſtquam me diu, multumq́; ea cura libertatem cum præſcientia conciliandi exercuiſſet, ac multos auctores ea de cauſa euoluiſſem, nunquam tamen vel ipſum me quicquam inuenire potuiſſe, vel ab alijs inuentum deprehendere, quod animo meo omni ex parte ſatisfaceret. Itaque hic meam ignorantiam nō grauatim confiteor. Neque tamen idcirco à fide prouidentiæ diuinæ deſciſcendum, aut eam vlla ratione in dubium vocandam eſſe, Epicureis concedo. Quid enim ſtultius, quàm per id, quod ignotius, aut certè non magis notum, dogma vllū euertere? At minus, aut ſaltem non magis illuſtris eſt humanæ voluntatis libertas, quàm DEI cuncta diſpenſantis prouidentia. Porrò non eſſe libertatem prouidentia notiorem, multis modis oſtendi poteſt. Primum enim ſi de rationibus agatur, eæ ad prouidentiæ confirmationem tam multę ac validę allatę ſunt, vt pro libertate nec plures, nec validiores adferri poſſint. Si verò de experimentis ſermo fiat, neque ea nobis in cauſa prouidentiæ defuiſſe,

Libertatē non eſſe prouidentia notiorem.

ex præcedentibus liquet. Dices fortè, illa ex hiſtorijs petita, libertatis verò ſuæ quenque ſingulis momentis periculum facere poſſe. Imò verò quiſquis anteacta vitę ſuæ tempora ad memoriam reuocet, huic facile quædam diuinæ curæ erga ſe documenta occurrent. Sed non tam illuſtria, quàm libertatis, fortè dicturus es. Imò vix ſcio, an euidentiora. Non enim aſſentior ijs, qui tam exploratam eſſe cuique ſuam libertatem exiſtimãt, quam ignem eſſe calidum, niuem albam, ideoque non poſſe eam demonſtrari, ſed velut principium ꝑ ſe cognitum ſupponi debere: nam ſi adeò illuſtris eſſet eius notitia, non tam multi fatalis neceſsitatis patroni inuenirentur. Experimur quidem non cogi voluntatem noſtram; ſed tamen quàm ſæpè vſuuenire perſentimus, vt contra mentis meliora probantis iudicium deteriora ſequamur? Id autem cum ſit, non ſolum non periclitamur vllam voluntatis libertatem, ſed cõtra etiam ſuſpicio nobis ſeruitutis ingeritur. Quodſi autem affectuum animi αὐτεξουσιότης per experientiam nota non ſit, neque membrorum vſum in noſtra poteſtate ſitum eſſe, illo modo notum erit. Prius enim ſuam electionem voluntas in poteſtate habeat neceſſe eſt, quam corporis membra, quibus id, quod elegit exequatur. At dicet

quiſpiam

quiſpiam, experiri nos quod conſultemus; conſilium verò non eſt, niſi τῶ ἐνδεχομένων, id eſt, quæ fieri aut non fieri poſſunt, vnde efficitur, etiam nos libertatem noſtram experimento diſcere. Sed facilis ad hęc reſponſio. Nam ad conſulationem ſufficit, vt id, de quo inſtituitur deliberatio, cum volumus, poſsimus, quandoquidem de eo quod etiamſi cuperemus, non poſſemus tamen efficere, ceu ſunt volare, cœlum digito attingegere & ſimilia, nemo ſobrius deliberat. An autem voluntas efficiendi ſit τῶ ἐφ' ἡμῖν, ex conſulatione non ita perſpicuum eſt, quam ignem calere. Diceret enim quiſpiam fati patronus conſilio ita in vnam partem determinari hominis voluntatem, vt in aliam ſe flectere non queat. Inſuper multi inſignes Theologi docent primam voluntatis mutationem, qua homo impius ad DEVM conuertitur, non eſſe in ipſius impij poteſtate. Sic enim D. Auguſtini doctrinam de gratia operante & cooperante intelligunt. Attamen impius non experitur, alio modo ſe cõuerti ab impietate ad iuſtitiam, q̃ quo in politicis ſtudio vnius rei deſerto, aliud nouo quodam deſiderio illectus, tractare incipit. Atqui id fieri oportebat, ſi libertatem ſuam in politicis experientia cognitam haberet: contrariorum enim idem iudicium, & qui

calorem percipit,etiam frigus percipiat, necesse est. Quare qui nonnunquam se libera vti voluntate persentiscit,idem quādo non liberè quippiam aggreditur, id haud dubiè perciperet. Infero igitur ex his omnibus arbitrij libertatem rationibus inuictis fultam esse, sed experimentis probabilibus duntaxat.

Si verò ab auctoritate sumtà argumenta inter se comparentur, ea multò firmiora in causa prouidentię,quàm libertatis inuenturus es. Nam inter sapiętes non solum Stoici fatalem necessitatem defenderunt, sed & Plato voluntatem diuinam, ita omnium rerum causam constituit, vt fati patronus à nonnullis existimetur. Poetæ vetustissimi adeò huic opinioni addicti fuere, vt mortem idcirco μοῖραν, id est, fatum appellarint, quia vnicuique fatalis moriendi hora præstituta sit. Historici gentiles & nominatim Herodotus, Diodorus, Curtius, Plutarchus, certa lege res humanas gubernari contendunt. Similiter & vulgus hominum Ethnicis temporibus ineuitabili cuncta necessitate fieri existimauit, & post euangelij prædicationem Manichæi, VViccleffistæ, Lutherani & nouissimè Caluinistæ libertatem arbitrij negant. Prouidentiam verò numinis horum nemo in dubium vocat. Cùm igitur

Iulius Sirenius.

Lege Diodorum de obitu Alexandri.

igitur si non notius, saltem æquè notum sit diuina cura mundum regi, quam hominem libera voluntate præditum esse; si prorsus inter se hæc duo conciliari nequeant, nulla erit causa, cur potius per libertatem hominis prouidentia, quàm ecótrario per hanc libertas arbitrij oppugnetur. Quin audeo dicere, quòd, si quis deinde alia argumenta consideret, quæ contra libertatem ab ingeniosis hominibus afferuntur, is facile assensurus sit; multò notiorem esse pronoeam, quàm libertatem humanam. Nam libr. primo planum fecimus idem argumētum, quo Aristoteles DEO liberam voluntatem adimere conatus est, etiam contra nostri arbitrij libertatem valere. Prouidentiæ verò nihil insolubile obijcitur, quam τὸ ἀυτεξούσιον. Quod tamen non magis ad eam, quàm viceuersa hanc ad illud euertendum acommodari debere, ostensum est. At libertas præterquam quod ægrè cum DEI prouidentia conciliari possit, etiam alio argumento tam nodoso oppugnatur, vt quando illud contra libertatem Dei affertur, à Philosophis insolubile putetur. Hæc non idcirco à me dicuntur, quod libertati humanæ quicquam detractum velim (hanc enim ἀπριξ retinendam esse non dubito) sed prouidendum existimo, ne ij, qui omnis pietatis &

Cap. 11. in principio.

religionis fundamentum, quod planissimum & nullis perplexitatibus inuolutum esse conuenit, inquirunt, in subtilem illam de concordia præscientiæ & libertatis disputationem pertrahantur. Ait D. Augustinus in confessionibus se ex eo, quod crederet humanum genus DEO curæ esse, adductum vt crederet sacram scripturam esse veram. Verba eius sunt. Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed q non crederent esse culpandos nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent: Vnde scis illos libros vni⁹ veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credendum erat, quoniá nulla pugnacitas calumniosarú quęstionum per tam multa, quæ legeram inter se confligentium philosophorum extorquere mihi potuit, vt aliquando non crederem te esse, quicquid esses, quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te minimè pertinere. Sed id credebam aliquando robustiùs, aliquando exilius, semper tamen credidi & esse te, & curam nostri gerere, etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel q̃ via duceret, aut reduceret ad te. Ideoque si essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem,

Lib. 6. c. 5.

Ex prouidētia pendet fides scripturarum.

& ob

& ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum literarum, iam credere inceperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Hæc AVGVSTINVS. Sed infirmo admodum fundamento suam fidem Diuus AVGVSTINVS superstruxisset, si non magis euidens ipsi fuisset res humanas à Deo curari, quàm earundem procurationem libero arbitrio non aduersari.

Adhuc alio modo euitari posse obiectionem, quæ à libertate sumitur.

CAPVT XI.

ANtegresso capite, diximus non esse necessarium ad tuendam rerum omnium prouidentiam, intricatissimam illam de concordia libertatis & præscientiæ disputationem ingredi, eò quòd magis notum sit Dei prouidentia cuncta administrari, quàm hominem libero arbitrio præditum esse. Nunc, vt magis elucescat, quàm nihil hoc argumento moueri debeamus, ostendendum easdem difficultates, ob quas prouidentia neganda esse videri posset, remansuras, etiamsi illa de medio sublata

esse fingatur. Sciamus igitur oportet, facilè explicari posse quomodo libertas arbitrij non repugnet Dei præscientiæ & prouidentiæ, si cogitemus rerum naturas non solum à Deo effectas esse, verumetiam cunctas earum actiones & motiones ab eius nutu pendere, ita, vt si is influxum suæ cooperationis ijsdem subtraheret, omnia inerti quodam otio lãguere necesse esset. In hac autem cooperatione ita ipsum se viribus creaturarum attemperare, vt suam vnicuique naturam relinquat, ijs quæ necessario agunt, necessitatem, quę liberè libertatem. Nec video sanè, cur intelligi non posit, eum, qui voluntatē liberam cõdidit, tam suauiter ipsam mouere & flectere posse, vt nihil eius libertatē imminuat. Quo cõstituto, non erit difficile intelligere, quomodo salua libertate omnium humanarum actionum DEVS præscius existat. Quia enim cũcti motus humanę voluntatis ex eius pendent arbitrio, ac voluntate, nihil autem vult, nisi & cognoscat; sequitur omnia, quæ in latebris animi sui quisque cogitat DEO perspecta & cognita esse. Quæres fortè, num voluntas libera DEI motionem frustrari valeat, & si posse negemus, rursum contendes libertatem auferri, & causam omnium scelerum esse Deum; sin aliquando frustra habe-ri diu-

Hunc modum præcognitionis ponit D. Augustinus 5. de ciuitate.

ri diuinam operationem confiteamur, nondum certæ Dei præcognitionis causa inuenta videbitur. Sed respondeo, vnicuique rei scopum à creatore DEO præfixum esse, ac propensionem ab eodem qua in eum feratur accepisse, sed quia illa per se non potest rem ad destinatum finem perducere, idcirco nunquam non à Deo, vt in eum tendat, incitari. Sed tamen quia non pro magnitudine potentiæ suæ, sed pro qualitate & conditione rei subiectæ, vnumquodque impellitur, idcirco non semper eo peruenit, quo secundum naturæ suæ primam institutionem debebat. Verbi causa, vult Deus semen ad perfecti animalis formam perducere, ac naturalem procliuitatem, qua in eam propendet, sua cooperatione efficacem reddit; verùm quia calor seminalis vel ex se debilis est, vel materiæ inhabilitatem superare nequit, pro animali omnibus suis numeris absoluto exit monstrum. Pari modo vult Iudæ voluntatem ad amorem supremi boni incitare, sed quia in ratione eiusdem est defectus considerationis, quid bonum incommutabile perituro prestet, cōtra verò totus est in meditatione boni fluxi & caduci, diuitiarum videlicet, fit, vt eius voluntas magis in tale bonum inclinet. Talem igitur inueniens voluntatis in Iuda constitutionem,

dum eam vult ad summi boni amorem excitare, ipsa propter inhærentem defectum, in pecuniam velut vltimū finem, deflectit. Fatemur igitur voluntatem liberam, eatenus Dei influxum frustrari posse, vt non id bonum assequatur, in quod ab ipso directa erat, sed vilius & inferius. Cùm verò postea infertur hinc sequi, nondum esse rationem inuentam, qua motus voluntatis à Deo cognoscatur, eò quòd nesciat, an sua cooperatio efficax futura sit nec ne, haud est obscurum, quid respondendum sit. Non enim ponimus Dei actionem posse omnino irritam & inefficacem reddi: sed tantum ob inhærentem in volūtate dispositionem fieri, vt non eò perueniat, quò illam DEVS, si prima institutio, & lex humano generi præscripta, considеretur, prouectam cuperet. Sed hîc

Obiectio. iam quæstio emergit, si Deus non absolutè decreuit voluntatem in particulari ad hoc, vel aliud bonum eligendum inflectere, sed in genere ad summi boni amorem, qui ex diuersa cuiusque hominis affectione modificetur, vnde illa affectionum diuersitas originem sumserit. Ac si quidem à Deo, adhuc is peccati auctor videbitur, ne dicam libertatem arbitrij nullam relinqui. Nam si Dei motio pro varia hominum affectione ad hoc vel illud eligendum instigat, & rursum

ἡ διαθέσεως diuersitas ab eodem Deo proficiscitur, quid restat, nisi vt is tota humanæ electionis quantumlibet vitiosæ, causa existat? At verò si ex sola hominum voluntate varietas illa internæ affectionis prouenit, quopacto Deus euentum suæ motionis præscire valebit, cum ille ab eo cuius ipse non est auctor pendeat? Hic lubens fateor meam ignorãtiam, sed tamẽ habeo, vnde declarem hoc argumentum esse sophisticum. Etenim si voluntatem fingamus à seipsa regi, nec esse diuinæ prouidentiæ subiectam, adhuc aliquid sit oportet, cur ipsa hoc potius, quàm diuersum eligat. Nam vt 6. ethicorum dixit Aristoteles, qualis quisque est, talis ei & finis videtur. Preterea peccatum non potest à bono oriri quatenus bonum, sed quatenus iam aliquis in eo defectus præcessit, siquidem bonum, qua ex parte bonum est, nil nisi sui simile potest producere. Antequam igitur electio sit vitiosa, aliqua mentis humanæ affectio antegressa in causa est, vt malum præ bono eligatur. Vnde igitur illa erit? An à voluntate? Atqui tunc rursum quæretur, vnde potuerit defectus ille in voluntatem ex natura sua bonam obrepere, idque in infinitum. Si verò, vt hoc euites, aliunde quàm à voluntate illum defectum promanare statuis, quo durante non potest non esse viti- Solutio.

ola electio, ergo voluntati non erit imputandum quod peccet, verum alteri alicui rei quæ voluntatem illo defectu vitiauit. Cùm igitur in eiusdem difficultatis solutione desudandum esset, etiamsi DEI prouidentia negetur, si, cum ex alijs causis nectitur, tanti non esse videtur, vt propter eam arbitrij libertas neganda sit, quare cum ex prouidentia Dei consurgit, eius causa Deum res nostras curare negabimus? Huc vsque peruenire potui in obscurissimæ hui⁹ quæstionis intelligentia, quæ deinceps sequuntur inexplicabilis mihi abyssus videntur. Quare ijs præteritis ad alterius obiectionis enodationem progredior.

Quod prouidentia specialis non repugnet contingentiæ casus & fortunæ.

CAPVT XII.

Obiectio. PRiorem obiectionem violentè, quia aliud non poteramus, abrupimus: sed eam quæ restat plenè nos dissoluturos speramus. Obijciunt ergo nonnulli, vtcunque simplex præscientia secum fatalem necessitatem non afferat, saltem prouidētiam omnium rerum in particulari, quam potissimum hoc opere defendimus, adeò cum casu, fortuna, contingentia & libertate

pugnare vt magis non posit. Quomodo enim quod prouisum est, fortuitum, quodque ab aliena destinatione pendet, liberum existet? Sed respondendum ipsis, specialem prouidentiam duplicem esse. Vnam quę vires cuique rei in prima eius creatione inditas ad operandum ꝑ illarum modo & particularium circumstantiarum varietate, excitat. Hęc autem licet reuera omnium naturarum communis sit, ideò tamen specialis dici potest, quod non, quemadmodum Auerrois imaginatus est, vis quædam à cœlesti corpore ad res omnes dimanans, sed influxus qui in vnamquamque naturam peculiaris à DEO proficiscitur, existat. Porrò quia hoc prouidentiæ genere non simpliciter humanam voluntatem ad hoc vel aliud eligendum determinat, sed tantum eò perducit, quò pro constitutione præsenti ipsa per se propẽdebat, non rectè ex illo fatalis necessitas infertur. Est alia prouidentiæ ratio multò specialior, qua insitæ suę propẽsioni rerũ naturæ haud permittuntur, sed ex diuinæ voluntatis decreto sic earum impetus temperantur, vt non nisi quod ipsi visum fuerit, queant efficere. Eiusmodi prouidentiæ opera sunt, quæ libro 4. cap. 7. & 8. recensuimus. Ac fatemur ea, quæ eiusmodi sunt, fortuita dici non posse, nec principibus illis qui oc- Solutio.

culta

culta DEI destinatione perierunt, liberum erat sua consilia eum in modum instituere, vt nihil ipsis aduersi accideret: aut si libertatem retinebant, ne illa vterentur, à DEO prouisum fuit. Verùm nego omnia quæ vel hominibus, vel rebus alijs eueniunt, ex tali Dei destinatione euenire. Sed in multis sine DEI determinatione id accidere aio, quod fert rerum ipsarum naturalis propensio. Quis enim credat ex definito consilio DEI fieri, quicquid pulices, glires, & mures faciunt? Quis tam impius, vt parricidia adulteria & alia scelera ex diuinæ voluntatis decreto patrari dicat? Præterea superuacaneum esset omnis hominũ industria, si consiliorum humanorum euentus à Dei voluntate penderet. Dicet fortè quispiam, has esse humanas rationes, sed cupere se auctoritate sacræ scripturæ ostendi, nonnulla casu & fortuita temeritate in hoc sublunari mundo geri. Extra institutum me vocat quisquis hoc flagitat; non enim cum hæreticis mihi hoc in hoc opere res est, sed cum pseudophilosophis, qui DEI prouidentiam ad res singulas omnino pertingere negant. Attamen ne quisquam me calumnietur, tanquam qui philosophorum sordibus puritatem fidei conspurcem, etiam ex sacris literis idem demonstrabo. Primum ait D. Paulus non esse

Quod omnia fiãt ex destinatione diuina.

1. Corint. 9

DEO

DEO curam de bobus; hoc autem non ideò dictum intelligi potest, quòd bruta diuinæ procurationi in totum exemta sint, verùm quia non tam singularem eorum curam gerit, quàm hominum. At quomodo hoc verum erit, si in brutorum iuxta ac hominum vita nullus est locus casui & temeritati? Adhæc Salomon prouerbiorum 19. domus, inquit, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens. Falsum est igitur, quæ hominibus eueniunt, æquè speciali & propria destinatione Dei cuncta euenire, sed diuitiæ ijs, qui parentes diuites nacti sunt, non nisi generali illa ratione obtingunt, quòd homines ab ipso mẽtem adepti sunt, qua intelligant quicquid parentes thesaurizarũt, hoc ijs defunctis filiorum esse. Præterea cum iusti sunt in societate eorum in quos diuina vindicta vel peste, vel bello, vel fame, vel quacunque alia castigatione propter intolerabilem ipsorum malitiam desæuitura est, semperne putas admonebuntur, vt se de medio eorum proripiant, quemadmodum Loth, vt è Zedomis aufugeret admonitus est? Aut per miraculum futurum, vt omnibus afflictis ipsi nihil patiãtur? At nihil horum verisimile. Si verò vnacum alijs & ipsi plagarum cõmunium participes fiunt, non ex diuina destinatione id accide-

re di-

ri dicendum est. Non enim ipsorum causâ eæ plagæ diuinitus infliguntur, sed mali & improbi suis sceleribus eas commeruerunt: illos verò quia versantur in medio eorum, quos Deus vlcisci decreuit, ex consequenti, & non ex proposito diuino affligi contingit. Nec refert quod etiam ipsi leuibus quibusdam delictis contaminati sint, & maximè quod humanam offensionem metuentes non satis acriter sceleratos corripuerint; licet enim hinc ostendatur non posse eos de iniustitia DEI queri, cum neque ipsi prorsus insontes sint, adhuc tamen relinquitur non fuisse ipsos si extra malorum societatem extitissent, tam grauiter puniendos. Insuper infantes baptizati & propterea ab omni peccato immunes, quâ re tàm grauiter Deum offenderunt, vt etiam illi tota aliqua ciuitate pereunte ijsdem plagis inuoluātur? Quid de his aliud dici potest, quàm non hoc ex destinato egisse Deum, vt illi quicquam paterentur, verùm quia in medio pereuntium inueniebantur, vi naturali vna cum illis internecioni datos esse? Idem iudicium de beneficijs, quæ malis hominibus, vt Laban, Putipheri & similibus, propter societatem iustorum obuenerunt. His accedit ipsius Dei per Hieremiam prophetam oraculum, quo apertissimè negat se immutabili decreto qua

ko quæ hominibus eueniunt, conſtituere. Repentè, inquit loquar, aduerſum gentem & aduerſus regnum, vt eradicem & deſtruam & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt facerem ei. Quid apertius dici potuit ad indicandum, quod ſententia diuina ab hominum moribus quodammodo pendeat, nec ita in vnam partem determinata ſit, vt ſi illi vitam corrigere velint, ipſe plagas quas minatus erat, nihilominus ſit inflicturus. Pluribus etiam in locis ſacræ literæ indicant hominum flagitia non eſſe à Deo prædeſtinata. Nemo, inquit Iacobus, cum tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur; DEVS enim ἀπείραστος κακῶν, id eſt, non ſollicitans ad malum. Sequitur enim: Ipſe autem neminem tentat.

Hieremiæ 18. capite.

Iacob. 1.

Et vix eſt quicquam veterum theologorum, qui non hunc errorem magno ſtudio oppugnârit, vt ſuperuacaneum videatur, plura teſtimonia coaceruare, quibus non à Deo prouenire hominum malitiam oſtendatur. Hæc autem omittere non potui, ne dum cuncta diuino nutu fieri dico, quiſquam inde erroris occaſionem ſumat. Vt igitur finem propoſitæ obiectionis ſolutioni imponam, regnorum & imperiorum à

gente

calorem percipit, etiam frigus percipiat, necesse est. Quare qui nonnunquam se libera vti voluntate persentiscit, idem quãdo non liberè quippiam aggreditur, id haud dubiè perciperet. Infero igitur ex his omnibus arbitrij libertatem rationibus inuictis fultam esse, sed experimentis probabilibus duntaxat.

Si verò ab auctoritate sumtà argumenta inter se comparentur, ea multò firmiora in causa prouidentię, quàm libertatis inuenturus es. Nam inter sapiẽtes non solum Stoici fatalem necessitatem defenderunt, sed & Plato voluntatem diuinam, ita omnium rerum causam constituit, vt fati patronus à nonnullis existimetur. Poetæ vetustissimi adeò huic opinioni addicti fuere, vt mortem idcirco μοῖραν, id est, fatum appellarint, quia vnicuique fatalis moriendi hora præstituta sit. Historici gentiles & nominatim Herodotus, Diodorus, Curtius, Plutarchus, certa lege res humanas gubernari contendunt. Similiter & vulgus hominum Ethnicis temporibus ineuitabili cuncta necessitate fieri existimauit, & post euangelij prædicationem Manichæi, VVicleffistæ, Lutherani & nouissimè Caluinistæ libertatem arbitrij negant. Prouidentiam verò numinis horum nemo in dubium vocat. Cùm igitur

Iulius Sirenius.

Lege Diodorum de obitu Alexandri.

igitur si non notius, saltem æquè notum sit diuina cura mundum regi, quam hominem libera voluntate præditum esse; si prorsus inter se hæc duo conciliari nequeant, nulla erit causa, cur potius per libertatem hominis prouidentia, quàm ecótrario per hanc libertas arbitrij oppugnetur. Quin audeo dicere, quòd, si quis deinde alia argumenta consideret, quæ contra libertatem ab ingeniosis hominibus afferuntur, is facile assensurus sit; multò notiorem esse pronoeam, quàm libertatem humanam. Nam libr. primo planum fecimus idem argumētum, quo Aristoteles DEO liberam voluntatem adimere conatus est, etiam contra nostri arbitrij libertatem valere. Prouidentiæ verò nihil insolubile obijcitur, quam τὸ ἀυτεξούσιον. Quod tamen non magis ad eam, quàm viceuersa hanc ad illud euertendum acommodari debere, ostensum est. At libertas præterquam quod ægrè cum DEI prouidentia conciliari possit, etiam alio argumento tam nodoso oppugnatur, vt quando illud contra libertatem Dei affertur, à Philosophis insolubile putetur. Hæc non idcirco à me dicuntur, quod libertati humanæ quicquam detractum velim (hanc enim ἀπριξ retinendam esse non dubito) sed prouidendum existimo, ne ij, qui omnis pietatis &

Cap. 11. in principio.

religionis fundamentum, quod planissimum & nullis perplexitatibus inuolutum esse conuenit, inquirunt, in subtilem illam de concordia præscientiæ & libertatis disputationem pertrahantur. Ait D. Augustinus in confessionibus se ex eo, quod crederet humanum genus DEO curæ esse, adductum vt crederet sacram scripturam esse veram. Verba eius sunt. Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed q non crederent esse culpandos nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent: Vnde scis illos libros vni⁹ veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credendum erat, quoniã nulla pugnacitas calumniosarũ quęstionum per tam multa, quæ legeram inter se confligentium philosophorum extorquere mihi potuit, vt aliquando non crederem te esse, quicquid esses, quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te minimè pertinere. Sed id credebam aliquando robustiùs, aliquando exilius, semper tamen credidi & esse te, & curam nostri gerere, etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel q̃ via duceret, aut reduceret ad te. Ideoque si essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem,

Lib. 6. c. 5.

Ex prouidẽtia pendet fides scripturarum.

& ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum literarum, iam credere inceperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Hæc AVGVSTINVS. Sed infirmo admodum fundamento suam fidem Diuus AVGVSTINVS superstruxisset, si non magis euidens ipsi fuisset res humanas à Deo curari, quàm earundem procurationem libero arbitrio non aduersari.

Adhuc alio modo euitari posse obiectionem, quæ à libertate sumitur.

CAPVT XI.

ANtegresso capite, diximus non esse necessarium ad tuendam rerum omnium prouidentiam, intricatissimam illam de concordia libertatis & præscientiæ disputationem ingredi, eò quòd magis notum sit Dei prouidentia cuncta administrari, quàm hominem libero arbitrio præditum esse. Nunc, vt magis elucescat, quàm nihil hoc argumento moueri debeamus, ostendendum easdem difficultates, ob quas prouidentia neganda esse videri posset, remansuras, etiamsi illa de medio sublata

esse fingatur. Sciamus igitur oportet, facilè explicari posse quomodo libertas arbitrij non repugnet Dei præscientiæ & prouidentiæ, si cogitemus rerum naturas non solum à Deo effectas esse; verumetiam cunctas earum actiones & motiones ab eius nutu pendere, ita, vt si is influxum suæ cooperationis ijsdem subtraheret, omnia inerti quodam otio lãguere necesse esset. In hac autem cooperatione ita ipsum se viribus creaturarum attemperare, vt suam vnicuique naturam relinquat, ijs quæ necessario agunt, necessitatem, quę liberè libertatem. Nec video sanè, cur intelligi non possit, eum, qui voluntatẽ liberam cõdidit, tam suauiter ipsam mouere & flectere posse, vt nihil eius libertatẽ imminuat. Quo cõstituto, non erit difficile intelligere, quomodo salua libertate omnium humanarum actionum DEVS præscius existat. Quia enim cũcti motus humanę voluntatis ex eius pendent arbitrio, ac voluntate, nihil autem vult, nisi & cognoscat; sequitur omnia, quæ in latebris animi sui quisque cogitat DEO perspecta & cognita esse. Quæres fortè, num voluntas libera DEI motionem frustrari valeat, & si posse negemus, rursum contendes libertatem auferri, & causam omnium scelerum esse Deum; sin aliquando frustra habe-

Hunc modum præcognitionis ponit D. Augustinus 5. de ciuitate.

ri diuinam operationem confiteamur, nondum certæ Dei præcognitionis causa inuenta videbitur. Sed respondeo, vnicuique rei scopum à creatore DEO præfixum esse, ac propensionem ab eodem qua in eum feratur accepisse, sed quia illa per se non potest rem ad destinatum finem perducere, idcirco nunquam non à Deo, vt in eum tendat, incitari. Sed tamen quia non pro magnitudine potentiæ suæ, sed pro qualitate & conditione rei subiectæ, vnumquodque impellitur, idcirco non semper eo peruenit, quo secundum naturæ suæ primam institutionem debebat. Verbi causa, vult Deus semen ad perfecti animalis formam perducere, ac naturalem procliuitatem, qua in eam propendet, sua cooperatione efficacem reddit; verùm quia calor seminalis vel ex se debilis est, vel materiæ inhabilitatem superare nequit, pro animali omnibus suis numeris absoluto exit monstrum. Pari modo vult Iudæ voluntatem ad amorem supremi boni incitare, sed quia in ratione eiusdem est defectus considerationis, quid bonum incommutabile perituro prestet, cõtra verò totus est in meditatione boni fluxi & caduci, diuitiarum videlicet, fit, vt eius voluntas magis in tale bonum inclinet. Talem igitur inueniens voluntatis in Iuda constitutionem,

εα διαθέσεως diuersitas ab eodem Deo proficiscitur, quid restat, nisi vt is tota humanæ electionis quantumlibet vitiosæ, causa existat? At verò si ex sola hominum voluntate varietas illa internæ affectionis prouenit, quopacto Deus euentum suæ motionis præscire valebit, cum ille ab eo cuius ipse non est auctor pendeat? Hic lubens fateor meam ignorãtiam; sed tamẽ habeo, vnde declarem hoc argumentum esse sophisticum. Etenim si voluntatem fingamus à seipsa regi, nec esse diuinæ prouidentiæ subiectam, adhuc aliquid sit oportet, cur ipsa hoc potius, quàm diuersum eligat. Nam vt 6. ethicorum dixit Aristoteles, qualis quisque est, talis ei & finis videtur. Præterea peccatum non potest à bono oriri quatenus bonum, sed quatenus iam aliquis in eo defectus præcessit, siquidem bonum, qua ex parte bonum est, nil nisi sui simile potest producere. Antequam igitur electio sit vitiosa, aliqua mentis humanæ affectio antegressa in causa est, vt malum præ bono eligatur. Vnde igitur illa erit? An à voluntate? Atqui tunc rursum quæretur, vnde potuerit defectus ille in voluntatem ex natura sua bonam obrepere, idque in infinitum. Si verò vt hoc euites, aliunde quàm à voluntate illum defectum promanare statuis, quo durante non potest non esse viti- Solutio.
 osa

sola electio, ergo voluntati non erit imputandum quod peccet, verum alteri alicui rei quæ voluntatem illo defectu vitiauit. Cùm igitur in eiusdem difficultatis solutione desudandum esset, etiamsi DEI prouidentia negetur, si, cum ex alijs causis nectitur, tanti non esse videtur, vt propter eam arbitrij libertas neganda sit, quare cum ex prouidentia Dei consurgit, eius causa Deum res nostras curare negabimus? Huc vsque peruenire potui in obscurissimæ hui⁹ quæstionis intelligentia, quæ deinceps sequuntur inexplicabilis mihi abyssus videntur. Quare ijs præteritis ad alterius obiectionis enodationem progredior.

Quod prouidentia specialis non repugnet contingentiæ casus & fortunæ.

CAPVT XII.

Priorem obiectionem violentè, quia aliud non poteramus, abrupimus: sed eam quæ restat plenè nos dissoluturos speramus. Obijciunt ergo nonnulli, Obiectio. vtcunque simplex præscientia secum fatalem necessitatem non afferat, saltem prouidétiam omnium rerum in particulari, quam potissimum hoc opere defendimus, adeò cum casu, fortuna, contingentia & libertate

pugna-

pugnare vt magis non posſit. Quomodo enim quod prouiſum eſt, fortuitum, quodque ab aliena deſtinatione pendet, liberum exiſtet? Sed reſpondendum ipſis, ſpecialem prouidentiam duplicem eſſe. Vnam quę vires cuique rei in prima eius creatione inditas ad operandum ꝓ illarum modo & particularium circumſtantiarum varietate, excitat. Hęc autem licet reuera omnium naturarum communis ſit, ideò tamen ſpecialis dici poteſt, quod non, quemadmodum Auerrois imaginatus eſt, vis quædam à cœleſti corpore ad res omnes dimanans, ſed influxus qui in vnamquamque naturam peculiaris à DEO proficiſcitur, exiſtat. Porrò quia hoc prouidentiæ genere non ſimpliciter humanam voluntatem ad hoc vel aliud eligendum determinat, ſed tantum eò perducit, quò pro conſtitutione præſenti ipſa per ſe propédebat, non rectè ex illo fatalis neceſſitas infertur. Eſt alia prouidentiæ ratio multò ſpecialior, qua inſitæ ſuę propēſioni rerũ naturæ haud permittuntur, ſed ex diuinæ voluntatis decreto ſic earum impetus temperantur, vt non niſi quod ipſi viſum fuerit, queant efficere. Eiuſmodi prouidentiæ opera ſunt, quæ libro 4. cap. 7. & 8. recenſuimus. Ac fatemur ea, quæ eiuſmodi ſunt, fortuita dici non poſſe, nec principibus illis qui oc-
Solutio.

culta

culta DEI destinatione perierunt, liberum erat sua consilia eum in modum instituere, vt nihil ipsis aduersi accideret: aut si libertatem retinebant, ne illa vterentur, à DEO prouisum fuit. Verùm nego omnia quæ vel hominibus, vel rebus alijs eueniunt, ex tali Dei destinatione euenire. Sed in multis sine DEI determinatione id accidere aio, quod fert rerum ipsarum naturalis propensio. Quis enim credat ex definito consilio DEI fieri, quicquid pulices, glires, & mures faciunt? Quis tam impius, vt parricidia adulteria & alia scelera ex diuinæ voluntatis decreto patrari dicat? Præterea superuacaneum esset omnis hominũ industria, si consiliorum humanorum euentus à Dei voluntate penderet. Dicet fortè quispiam, has esse humanas rationes, sed cupere se auctoritate sacræ scripturæ ostendi, nonnulla casu & fortuita temeritate in hoc sublunari mundo geri. Extra institutum me vocat quisquis hoc flagitat; non enim cum hæreticis mihi hoc in hoc opere res est, sed cum pseudophilosophis, qui DEI prouidentiam ad res singulas omnino pertingere negant. Attamen ne quisquam me calumnietur, tanquam qui philosophorum sordibus puritatem fidei conspurcem, etiam ex sacris literis idem demonstrabo. Primum ait D. Paulus non esse

Quod omnia fiãt ex destinatione diuina.

1. Corint. 9

DEO

DEO curam de bobus; hoc autem non ideò dictum intelligi potest, quòd bruta diuinæ procurationi in totum exemta sint, verùm quia non tam singularem eorum curam gerit, quàm hominum. At quomodo hoc verum erit, si in brutorum iuxta ac hominum vita nullus est locus casui & temeritati? Adhæc Salomon prouerbiorum 19. domus, inquit, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens. Falsum est igitur, quæ hominibus eueniunt, æquè speciali & propria destinatione Dei cuncta euenire, sed diuitiæ ijs, qui parentes diuites nacti sunt, non nisi generali illa ratione obtingunt, quòd homines ab ipso mẽtem adepti sunt, qua intelligant quicquid parentes thesaurizarũt, hoc ijs defunctis filiorum esse. Præterea cum iusti sunt in societate eorum in quos diuina vindicta vel peste, vel bello, vel fame, vel quacunque alia castigatione propter intolerabilem ipsorum malitiam, desæuitura est, semperne putas admonebuntur, vt se de medio eorum proripiant, quemadmodum Loth, vt è Zodomis aufugeret admonitus est? Aut per miraculum futurum, vt omnibus afflictis ipsi nihil patiãtur? At nihil horum verisimile. Si verò vnacum alijs & ipsi plagarum cõmunium participes fiunt, non ex diuina destinatione id accide-

eri dicendum est. Non enim ipsorum causâ eæ plagæ diuinitus infliguntur, sed mali & improbi suis sceleribus eas commeruerunt: illos verò quia versantur in medio eorum, quos Deus vlcisci decreuit, ex consequenti, & non ex proposito diuino affligi contingit. Nec refert quod etiam ipsi leuibus quibusdam delictis contaminati sint, & maximè quod humanam offensionem metuentes non satis acriter sceleratos corripuerint; licet enim hinc ostendatur non posse eos de iniustitia DEI queri, cum neque ipsi prorsus insontes sint, adhuc tamen relinquitur non fuisse ipsos si extra malorum societatem extitissent, tam grauiter puniendos. Insuper infantes baptizati & propterea ab omni peccato immunes, qua re tàm grauiter Deum offenderunt, vt etiam illi tota aliqua ciuitate pereunte iisdem plagis inuoluātur? Quid de his aliud dici potest, quàm non hoc ex destinato egisse Deum, vt illi quicquam paterentur, verùm quia in medio pereuntium inueniebantur, vi naturali vna cum illis internecioni datos esse? Idem iudicium de beneficijs, quæ malis hominibus, vt Laban, Putipheri & similibus, propter societatem iustorum obuenerunt. His accedit ipsius Dei per Hieremiam prophetam oraculum, quo apertissimè negat se immutabili decre-
to quæ

ↄo quæ hominibus eueniunt, constituere. Repentè, inquit loquar, aduersum gentem & aduersus regnum, vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Quid apertius dici potuit ad indicandum, quod sentētia diuina ab hominum moribus quodammodo pendeat, nec ita in vnam partem determinata sit, vt si illi vitam corrigere velint, ipse plagas quas minatus erat, nihilominus sit inflicturus. Pluribus etiam in locis sacræ literæ indicant hominum flagitia non esse à Deo prædestinata. Nemo, inquit Iacobus, cum tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur; DEVS enim ἀπείραστος κακῶν, id est non sollicitans ad malum. Sequitur enim: Ipse autem neminem tentat.

Hieremiæ 18. capite.

Iacob. 1.

Et vix est quicquam veterum theologorum, qui non hunc errorem magno studio oppugnârit, vt superuacaneum videatur, plura testimonia coaceruare, quibus non à Deo prouenire hominum malitiam ostendatur. Hæc autem omittere non potui, ne dum cuncta diuino nutu fieri dico, quisquam inde erroris occasionem sumat. Vt igitur finem propositæ obiectionis solutioni imponam, regnorum & imperiorum à

gente

gente in gentem translationes diuinæ prouidentiæ assignandas esse non dubito, quia apud Danielem lego excelsum dominari in regno hominum & cuicunque voluerit, dare illud. Bellorum successus diuino arbitrio vt plurimum temperari non illibenter agnosco, quia Salomonis dictum est, æquum parari in diem belli, dominum verò tribuere salutem. Regibus & principibus sæpè mẽtem tum suo, tum subditorum merito eripi non eo inficias, quia in Esaia inuenio, stultos factos principes Thaneos, emarcuisse principes Mempheos, decepisse Aegyptũ, angulum populorum eius: Dominum miscuisse in medio eorum spiritũ vertiginis, & ideò in errorem induxisse Aegyptios, sicut errat ebrius, & vomens. Haud nego priuatis hominibus multa per Dei occultam dispensationem accidere, quia Iosephi in Aegyptum venditionem non casu accidisse, sed diuinò consilio prouisam esse, Moses auctor omni exceptione maior testatur. Sed omnia quæ à brutis quomodocunque fiunt, semper speciali Dei procurationi, nunquam insitis ipsorum viribus, vniuersa quoque bona & mala, quæ hominibus contingunt, diuinę destinationi, nihil verò propriæ eorum vel industriæ, vel negligentiæ dandum esse, quia scripturæ credi non postulant, nec rationi

Daniel. 4.
Prouer. 21.
Esaię ca. 19

conſentaneum eſt, Caluiniſtis fatalis neceſſitatis patronis relinquatur. Superſunt adhuc aliæ quædam obiectiones, verùm ſolutu faciles. Nam quòd omnia pariter eueniunt iuſto & impio, ſacrificanti & ſacrificia contemnenti, quòd non contra malos ſententia mox profertur, quod ſtulti in dignitate conſpiciantur & diuites deorſum ſedeant, quòd omnia querelis & lacrumis innocentum ſint plena, & Deus ſæpè inuocatus opem non ferat, & vt vno verbo dicam, maxima ſit rerum humanarum in hac vita confuſio, non ſolum nihil officere Dei prouidentiæ, ſed etiam illuſtrare eandem, libro huius operis ſecundo tam multis oſtendimus, vt hic iterum eadem de re verba facere non ſit neceſſe.

PERORATIO TOTIVS OPERIS.

HAEC habui beneuolè lector, quę de prouidentia Dei scriberem. In quibus si quid benè dictum repereris, hoc ipsum Deo Opt. Max. cuius hic causam egi, acceptum ferto. Sin occurrant nonnulla, quæ non satis argumenti maiestati respondere videantur, hæc non recuso quo minus mihi imputentur. Ingenuè enim fateor materiam hanc grandiorem esse, quàm vt perfectæ eius tractationi meum ingeniolum par sit. Quia tamen in magnis ipsum voluisse sua laude non caret, idcirco meas de tam sublimi re commentationes æquis lectoribus non ingratas forè sperans, publico eas committere non dubitaui. Existimabam etiam nonnullos meo exemplo extimulatum iri ad plenius & absolutius hanc quæstionem explicandam, ijsque nostrum hoc scriptum πρὸ ὁδοῦ futurum esse si non ad aliud, saltem vt quæ ego moui dūtaxat, ipsi sibi diligentius enodanda esse admoneantur.

rit, conniuere; præsertim cum quæ maximè castigatione indigebant, ad calcem libri notata inuenturus es. Vale.

ELENCHVS CAPITVM QVAE VNOQVOQVE libro continentur.

LIBRI PRIMI HÆC SVNT Capita.

* 2

LIBRI SECVNDI CAPITA sunt ista.

ex

ctam facere debeant. Verùm vt hisce in rebus studium & industriam meam nonnullam æquus lector deprehensurus est, ita ecótrariò stilus fortè quibusdam in locis aridior, quàm pro rei subiectæ maiestate videbitur: quædam presſius tractata putabuntur, quàm materiæ vbertas postulabat. Adde quod subinde errata orthographica, imò & solœcismi hic occurrant.

Ne igitur vitia mihi fraudi sint, quę velut ex alta specula in hoc libro viros doctos offensura esse prospicio, de impedimentis quę mihi obstitere quominus omni ex parte absolutus hic liber in lucem prodeat, tertiò nunc pauca dicenda. Primum stili incultioris veniam nullam requiro quia cum logodædalum me non profitear, iniquus sit qui pręter perspicuitatem, vllam à me orationis virtutem flagitet. Perspicuè verò & planè omnia à me quatenus fert rerum quæ tractantur obscuritas, tradita esse confido. Videas tamen dictionis faciem quibusdam locis paulò venustiorem, quibusdam verò magis illaboratam & incomptam esse. De cuius ἀνομαλίας causa sic habeto. Cùm ante paucos annos hoc opus Louanij elaborarē, parum de editione solicitus, nullam stili rationem habueram: posteà verò ad eius editionem tentandam quorundam instigatio-

ne permotus, vidi mihi, si honori meo consultum vellem, totum opus recoquendum esse. In eo labore dum versor, typographus, qui iam aliquot folia excuderat, quotidie à me diurnum pensum magna importunitate exigit, & velut sedula obstetrix meum partum intẽtus obseruat. Ita factum est, vt, cum aliquando firmior, aliquando imbecillior mea valetudo esset, nõnũquã voluptati, nõnũquã fastidio mihi scribendi labor fuerit. Cùm verò animus fastidio lãguẽs ad scribẽdum accedit, etiam oratio, quæ velut imago quædam est mentis, langueat necesse est. Eadem festinatio in causa fuit, vt lituris aliquãdo confusa & perturbata essent, quæ mei ἐργοδιώκται simulatq; scripta vidissent, ad prælum abripiebant: in tanta igitur liturarum confusione accidere necesse fuit, vt operæ nonnunquam inducta reliquerint, & vicissim relicta induxerint. Sanauimus hæc vulnera quidem eatenus, vt lectorem remoratura non sint: verum fieri non potuit, quin in tanta eorum multitudine, quædam nostram diligentiã effugerint. Intellexisti causas, beneuole lector, ob quas non tam limatum hoc opus in lucem prodeat, quam cupiuissem; tuę nunc æquitatis erit hac satisfactione accepta ad næuos, quos non tam inscitia nostra, quàm typographi acceleratio pepe-

rit,


453

ERRATA, QVAE PARTIM OBSCVRIORIS MANVSCRIPTI EXEMPLARIS CVLPA, partim operarum negligentia irrepserunt, sic restitue.

Pagina prima, linea quarta, lege confirmandam. 2.4. Aristotelicos. 5.5. nullum. 8.16. nullus. 10.18. acciderit. 13.3 vindicandi. 15.16. dicat. 33.7. pretij. ibidem 11. inceperunt. 36.22. dele quod. 46.13. somno. 78.15. pro rebus lege ijs. ibidem 24 post quae adde insuper 83.9. quam. 112. in margine 93. 115.1. confessus. 126.5. addictus. 140 in margine lib. 2. 147.7. briginem. 149.2. dele ipsi. 150.25. Rhadamanthus. 151.9 ἄσσον. ibidem 10. ὕβρις. 155.26. questurum. 169.6. euoluerit. 172.22. iuste. 175.7. consectentur. ibidem 23. quam. 179.36. statuatur. 183.6. enim. 188.5. sciscitari. 189.3 siccitatis. 191.27. διὰ. 192.5. mente. ibid. 7. proficiente. 195. adde in margine, ἀυτοχθὼν. ibidem 18. somno. 196.14. inuentas. 201.27. ipse. 204.4. obtineat. ibidem 9. adde, quo elencetorũ. 215. vlt. ego. 220.4 ante huc appone, atq;. 24 12, ipsum. 225.10. dele se. 230.9 sacrificorũ. 232. in marg. Dea. 240.5. aneus. ibid. 19. certe ã displicet in hac narratione modi mutatio, & quoties alibi idem factum. 241.12. Alcmaonis.

248. 2. homines loquuntur. ibidem 4. post exprobrant adde dæmones in ijs latentes. 253. 23. exercitium. 254. 1. vsurpant. 255. 9. dele qui. 264. 5. post Tusculana adde, scribit. 267. 5. putent. ibidem. 11. deuitent, fateantur. 272. 22. dele in. 275. 13. ipsarum. 276. 10. dele Quin. 277. 7. dele &. ibidem 9. portiuncula. 281. 22. post proinde adde, cum. 285. 27. prehendendæ. 289. 13. leui. 291. 9. loco. ibidem 13. locum. 342. 19. dele cum. 345. 1. solertiæ plusquam humanæ. 356. 25. videretur. 359. 18. Critiam. 362. 20. post sic adde, eas. 371. 3. ante tristis adde, inquit Solinus. 372. 1 esset. 375. 10 fuissent. ibid. 13. tantam. ibidem 23. mentiretur. 380. 29. post fœminas adde, à. 384. 23. extruit. 385. 3. Ariano. 409. 13. petuntur. 418. 10. ante eiusmodi pone, quia. 426. 20. gratificaretur. 429. 13. nosse. 431. 7. illa.

Ad calcem additurus eram censuram inquisitoris, sed quia is, dum hic liber excuderetur è viuis excessit, quod reliquum est, profiteor me nihil hic voluisse dicere, quod fidei S. Romanæ ecclesiæ aduersetur. Quòd si tamē mihi per imprudentiam tale quicquam exciderit, pro non dicto haberi velim.



LIBRI QVINTI CAPITA

LIBRI TERTII CAPITA.

LIBRI QVARTI CAPITA.

Idem

FINE
R